illan's Latin Reader



A LATIN READER
FOR THE
LOWER FORMS IN SCHOOLS

H. J. Hardy



new



A LATIN READER



A LATIN READER

FOR THE

LOWER FORMS IN SCHOOLS

BY

H. J. HARDY, M.A.

ASSISTANT-MASTER IN WINCHESTER COLLEGE



London

MACMILLAN AND CO.

AND NEW YORK

1889

First Edition, 1888
Second Edition, July 1889

A. S. ITA DOCENTI

UT DOCERE NON VIDEATUR

PREFACE

THOSE teachers of Latin who are content with the existing provision will resent the appearance of a fresh Reader: those who are dissatisfied may perhaps read these few words of explanation.

The main part of the work consists of Latin stories, taken partly from more or less well-known Latin authors, partly from a great variety of other sources. An attempt has been made to gather compact and intelligible stories, the subjects of which may be expected to interest the average schoolboy. These stories are intended for the ordinary reading of boys not yet sufficiently far advanced to read Latin authors continuously; they conclude with some pieces taken directly from the authors which will naturally form the next stage; otherwise all the stories are of much the same difficulty.

To the main part of the book have been prefixed a few introductory stories taken from Eutropius and the

well-known German schoolbooks; and an appendix has been placed at the end (for which no vocabulary is provided) consisting of a selection from the dialogues of Erasmus. It is suggested that they should be used for unseen translation either *viva voce* or on paper, and it is hoped that they may be of value in bringing before the minds of those who use them the language as a living vehicle of thought: the facility of expression and sprightliness of manner will compensate for the slight deviations from strictly classical style.

In conclusion, the author would wish to thank many kind friends for their help and criticism: if the book has any merit in spite of its faults, he would like to refer to the apologue of Saadi with regard to the scented clay: 'I was indeed a despicable piece of earth; but I was some time in the company of the rose, and the quality of my sweet companion was communicated to me.' Any fragrance, therefore, which may be detected, must be set down to the company of ancient authors and kind friends: for the faults the author is entirely responsible.

Sept. 1888.

CONTENTS

PAGE

INTRODUCTORY STORIES 1

LATIN STORIES 11

APPENDIX 123

NOTES 142

VOCABULARY 145



INTRODUCTORY STORIES

1. The Innocent Trumpeter.

Tubicen ab hostibus captus, "nolite me," inquit, "interficere; nam inermis sum neque quidquam habeo praeter hanc tubam." At hostes, "propter hoc ipsum," inquiunt, "te interimemus, quod, cum ipse pugnandi sis imperitus, alios ad pugnam incitare soles."

2. Foolish Servants.

Mulier vidua, quae texendo vitam sustentabat, solebat ancillas suas de nocte excitare ad opus, cum primum galli cantum audivisset. At illae diuturno labore fatigatae statuerunt gallum interficere. Quo facto deteriore condicione quam prius esse coeperunt: nam domina, de hora noctis incerta, nunc famulas saepe iam prima nocte excitabat.

3. The Donkey and the Horse.

Asinus onustus sarcinis equum rogavit, ut aliqua parte oneris se levaret, si se vivum videre vellet. Sed ille asini preces repudiavit. Paulo post igitur asinus labore consumptus in via corruit et efflavit animam. Tum agitator

omnes sarcinas, quas asinus portaverat, atque insuper etiam pellem asino detractam in equum imposuit. Ibi ille sero priorem superbiam deplorans, "O me miserum," inquit, "qui parvulum onus in me recipere noluerim, cum nunc cogar tantas sarcinas ferre una cum pelle comitis mei, cuius preces tam superbe contempseram."

4. Death.

Senex in silva ligna ceciderat, iisque sublatis domum redire coepit. Cum aliquantum viae progressus esset, et onere et via defatigatus fascem deposuit, et secum aetatis et inopiae mala contemplatus, Mortem clara voce invocat, quae ipsum ab omnibus his malis liberet. Tum Mors senis precibus auditis subito adstitit et quid vellet percunctatus est. At Senex quem iam votorum poenitebat, "nihil," inquit, "sed requiro, qui onus paululum allevet, dum ego rursus subeo."

5. Hannibal's Trick.

Hannibal cum elephantos compellere non posset ut praealtum flumen transirent neque rates haberet, quibus eos traiceret, iussit ferocissimum elephantorum sub aure vulnerari et eum qui vulnerasset se in flumen conicere illudque tranare. Tum elephas exasperatus ad persequendum doloris sui auctorem tranavit amnem et reliqui quoque eum secuti sunt.

6. The Gauls invade Rome.

Galli Senones ad urbem venerunt, et victos Romanos undecimo milliario a Roma apud flumen Alliam secuti,

etiam urbem occuparunt; neque defendi quidquam, nisi Capitolium, potuit. Quod cum diu obsedissent, et iam Romani fame laborarent, a Camillo, qui in vicina civitate exsulabat, Gallis superventum est, gravissimeque victi sunt. Postea tamen, accepto etiam auro, ne Capitolium obsiderent, recesserunt: sed secutus eos Camillus ita cecidit, ut et aurum, quod his datum fuerat, et omnia, quae ceperant, militaria signa revocaret.

7. The Story of Pyrrhus.

Tarentini Pyrrhum, Epiri regem, contra Romanos auxilium poposcerunt, qui ex genere Achillis originem trahebat. Is mox ad Italiam venit, tumque primum Romani cum transmarino hoste dimicaverunt. Missus est contra eum consul P. Valerius Laevinus, qui, cum exploratores Pyrrhi cepisset, iussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum, tumque dimitti, ut renuntiarent Pyrrho, quaecunque a Romanis agerentur.

8. Pyrrhus.

Commissa mox pugna, cum iam Pyrrhus fugeret, elephantorum auxilio vicit, quos incognitos Romani expaverunt; sed nox proelio finem dedit. Laevinus tamen per noctem fugit. Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit, eosque summo honore tractavit; occisos sepelivit. Quos cum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos iacere vidisset, tulisse ad caelum manus dicitur, cum hac voce: se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.

9. Pyrrhus

Postea Pyrrhus, iunctis sibi Samnitibus, Lucanis, Bruttiisque, Romam perrexit, omnia ferro ignique vastavit, Campaniam depopulatus est, atque ad Praenestem venit milliario ab urbe octavo decimo. Mox terrore exercitus, qui cum consule sequebatur, in Campaniam se recepit. Legati ad Pyrrhum de redimendis captivis missi, ab eo honorifice suscepti sunt; captivos sine pretio Romam misit. Unum ex legatis Romanorum, Fabricium, sic admiratus est, ut, cum eum pauperem esse cognovisset, quarta parte regni promissa, sollicitare voluerit, ut ad se transiret; contemptusque a Fabricio est.

10. Pyrrhus.

Quare cum Pyrrhus ingenti Romanorum admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem aequis condicionibus peteret, praecipuum virum, Cineam nomine, ita ut Pyrrhus partem Italiae, quam iam armis occupaverat, obtineret. Pax displicuit, remandatumque Pyrrho a senatu est, eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. Tum Romani iusserunt captivos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, quod armati capi potuissent, nec ante eos ad veterem statum reverti, quam si binorum hostium occisorum spolia retulissent.

11. Pyrrhus.

Ita legatus Pyrrhi reversus ést. A quo cum quaereret Pyrrhus, qualem Romam comperisset, Cineas dixit: regum se patriam vidisse; scilicet tales illic fere omnes, qualis

unus Pyrrhus apud Epirum et reliquam Graeciam putaretur. Missi sunt contra Pyrrhum duces P. Sulpicius et Decius Mus, consules. Certamine commisso Pyrrhus vulneratus est, elephanti interfecti, XX millia caesa hostium, et ex Romanis tantum quinque millia. Pyrrhus Tarentum fugatus.

12. Regulus.

Carthaginienses Regulum ducem, quem ceperant, petierunt, ut Romam proficisceretur, et pacem a Romanis impetraret, ac permutationem captivorum faceret. Ille Romam cum venisset, inductus in senatum, nihil quasi Romanus egit, dixitque, se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desiisse. Itaque et uxorem a complexu removit, et senatui suasit, ne pax cum Poenis fieret.

13. Regulus.

Illos enim, fractos tot casibus, spem nullam habere: se tanti non esse, ut tot millia captivorum propter unum se, et senem, et paucos, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur. Itaque obtinuit. Nam Afros, pacem petentes, nullus admisit; ipse Carthaginem rediit, offerentibusque Romanis, ut eum Romae tenerent, negavit, se in ea urbe mansurum, in qua, postquam Afris servierat, dignitatem honesti civis habere non posset. Regressus igitur ad Africam, omnibus suppliciis exstinctus est.

14. Death of Pompey.

Nunquam adhuc Romanae copiae in unum neque maiores, neque melioribus ducibus, convenerant, totum

terrarum orbem facile subacturae, si contra barbaros ducerentur. Pugnatum tamen est ingenti contentione, victusque ad postremum Pompeius, et castra eius direpta sunt. Ipse fugatus Alexandriam petiit, ut a rege Aegypti, cui tutor a senatu datus fuerat propter iuvenilem eius aetatem, acciperet auxilia; qui, fortunam magis quam amicitiam secutus, occidit Pompeium; caput eius et annulum Caesari misit.

15. Death of Caesar.

Inde Caesar, bellis civilibus toto orbe compositis, Romam rediit; agere insolentius coepit, et contra consuetudinem Romanae libertatis. Cum ergo et honores ex sua voluntate praestaret, qui a populo ante deferebantur, nec senatui ad se venienti assurgeret, aliaque regia ac paene tyrannica faceret, coniuratum est in eum a LX. vel amplius senatoribus equitibusque Romanis. Praecipui fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romae consul fuerat et reges expulerat, C. Cassius et Servilius Casca. Ergo Caesar, cum inter ceteros venisset ad curiam, XXIII. vulneribus confossus est.

16. Death of Antony.

Antonius ingens bellum civile commovit, cogente uxore Cleopatra, regina Aegypti, dum cupiditate muliebri optat etiam in urbe regnare. Victus est ab Augusto navali pugna clara et illustri apud Actium, qui locus in Epiro est, ex qua fugit in Aegyptum; et desperatis rebus, cum omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit: Cleopatra sibi aspidem admisit, et veneno eius exstincta est. Aegyptus per Octavianum Augustum imperio Romano adiecta est,

praepositusque ei Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Aegyptus Romanum iudicem habuit.

17. Claudius invades Britain.

Britanniae bellum Claudius intulit, quam nullus Romanorum post Iulium Caesarem attigerat, eaque devicta per Cn. Sentium et A. Plautium, illustres et nobiles viros, triumphum celebrem egit. Quasdam insulas etiam, ultra Britanniam in Oceano positas, Romano imperio addidit, quae appellantur Orcades, filioque suo Britannici nomen imposuit. Tam civilis autem circa quosdam amicos exstitit, ut etiam Plautium, nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, et conscendenti Capitolium laevus incederet. Is vixit annos IV. et LX. imperavit XIV.

18. Vespasian.

Vespasianus successit, factus apud Palaestinam imperator; princeps obscure quidem natus, sed optimis comparandus; privata vita illustris, ut qui a Claudio in Germaniam, deinde in Britanniam missus, tricies et bis cum hoste conflixerit, duas validissimas gentes, XX. oppida, insulam Vectam, Britanniae proximam, imperio Romano adiecerit. Romae se in imperio moderatissime gessit: pecuniae tantum avidior fuit, ita ut eam nulli iniuste auferret; quam cum omni diligentiae provisione colligeret, tamen studiosissime largiebatur, praecipue indigentibus. Nec facile ante eum cuiusquam principis vel maior est liberalitas comperta, vel iustior.

19. Atalanta.

Schoeneus Atalantam, filiam formosissimam, dicitur habuisse, quae cursu viros superabat. Haec quum a pluribus in coniugium peteretur, pater eius condicionem proposuit, ut, qui eam ducere vellet, prius cursu cum ea contenderet; si victus esset, occideretur. Multos quum superasset et interfecisset, tandem ab Hippomene victa est. Hic enim a Venere tria mala aurea acceperat. Dum currunt, horum unum post alterum proiecit, iisque Atalantae cursum tardavit. Nam dum mala colligit, Hippomenes ad metam pervenit. Huic igitur Schoeneus filiam uxorem dedit. Quam quum in patriam duceret, oblitus Veneris beneficio se vicisse, grates ei non egit. Hanc ob causam Hippomenes mutatus est in leonem, Atalanta in leaenam.

20. Meleager.

Althaea, Thestii filia, ex Oeneo peperit Meleagrum. Ei Parcae ardentem titionem dederunt, praefantes, Meleagrum tam diu victurum, quam diu is titio foret incolumis. Hunc igitur Althaea diligenter in arca clausum servavit. Interim Diana, Oeneo irata, quia sacra annua non fecerat, aprum mira magnitudine misit, qui agrum Calydonium vastaret. Quem Meleager, fortissimis iuvenibus ex omni Graecia convocatis, interfecit, pellemque eius Atalantae donavit. Cui quum Althaeae fratres pellem eripere vellent, illa Meleagri auxilium imploravit, qui avunculos occidit. Tum Althaea, gravi ira in filium commota, titionem illum fatalem in ignem coniecit. Sic Meleager periit. At sorores eius, dum fratrem insolabiliter lugent, in aves mutatae sunt.

21. Achilles.

Thetis, Pelei coniux, quum sciret Achillem, filium suum, cito periturum esse, si Graecorum exercitum ad Troiam sequeretur, misit eum in insulam Scyron regique Lycomedi commendavit. Ille eum muliebri habitu inter filias suas servabat; Ulixes autem, rex Ithacae, quum audivisset, Achillem ibi occultari, in regio vestibulo munera feminea in calathiscis posuit simulque clipeum et hastam, mulieresque advocari iussit. Quae dum omnia contemplantur, subito tubicen cecinit; quo sono audito, Achilles arma arripuit. Unde eum virum esse intellectum est.

22. The Artful Wolf.

Serpens ingenti saxo oppressus rogavit virum praetereuntem, ut a se onus amoliretur, pollicitus ingentem thesaurum, si hoc faceret. Quod quum vir iste mitis fecisset, non modo promissa non solvit, sed hominem occidere conatus est. Dum ita contendunt, accidit ut vulpes transiret. Qui arbiter electus, "non possum," inquit, "tantas lites inter vos componere, nisi videro prius, quomodo serpens saxo oppressus fuerit." Quum igitur vir serpenti saxum imposuisset, dixit vulpes, "ingratum animal sub saxo relinquendum esse censeo."

23. The Silly Stag.

Cervus, quum sitiret, ad fontem accessit, et suam in aqua imaginem conspiciens, cornuum magnitudinem laudavit, crura vero uti nimis exilia vituperavit. Ecce leo advenit. Quo viso cervus aufugit, ut ei nullum periculum

immineret, donec in planitie esset. Quum vero in silvam venisset, inter virgulta cornibus adhaesit, et a leone captus est, quod pedum celeritate uti non poterat. Tum moriturus, "o me desipientem," inquit, "cui ea displicerent, quae me conservarunt, placerent autem quae me perdiderunt."

24. Story of Alcestis.

Alcestim Peliae filiam cum multi in matrimonium peterent, Pelias promisit se filiam ei esse daturum, qui feras currui iunxisset. Admetus, qui eam perdite amabat, Apollinem rogavit ut se in hoc negotio adiuvaret. Is cum ab Admeto, dum ei serviebat, liberaliter esset tractatus, aprum ei et leonem currui iunxit, quibus ille Alcestim avexit. Idem gravi morbo implicitus munus ab Apolline accepit, ut praesens periculum effugeret, si quis sponte pro eo moriturus esset. Jam cum neque pater neque mater Admeti pro eo mori voluisset, uxor se Alcestis morti obtulit, quam Hercules forte adveniens Orci manibus eripuit et Admeto reddidit.

25. Midas.

Cum Bacchus exercitum in Indiam duceret, Silenus ab agmine aberravit. Quem Midas, rex Mygdoniae, hospitio liberaliter accepit eique ducem dedit qui eum ad Bacchum reduceret. Ob hoc beneficium Bacchus Midae optionem dedit, ut quidquid vellet a se peteret. Ille petiit, ut quidquid tetigisset aurum fieret. Quod cum impetrasset, primo gavisus est hac virtute sua: non intellexit nihil ipsi hoc perniciosius esse. Namque etiam cibus et potio in aurum mutabatur. Cum iam fame cruciaretur, petiit a Baccho ut donum suum revocaret.

LATIN STORIES

1. Not at Home.

Romani interdum sermone parum affabili inter se uti solebant. Nasica enim quum ad Ennium poetam venisset, eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset domi non esse, sensit illam domini iussu dixisse et illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius et eum a ianua quaereret, exclamat Nasica se domi non esse. Tum Ennius "Quid? Ego non cognosco," inquit, "vocem tuam." Hic Nasica, "Homo es impudens. Ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi."

2. Death of Epaminondas.

Epaminondas quum mortifero vulnere ad Mantineam percussus esset, delatus in tentorium adhuc vivus, Diophantum arcessere voluit, ut eum ducem declararet. Comites autem circumstantes illum virum occubuisse dicunt. Deinde rogat ut Iolaidam cito vocent: quum vero illum etiam mortuum esse certior esset factus, suis persuasit ut bello cum hostibus composito amicitiam statim facerent. "Nullus enim vir," inquit Epaminondas "inter Thebanos relinquitur, qui nostro exercitui praesit."

3. The Cunning Frog.

Sapiens sane est Aegyptiarum genus ranarum: namque ob callidum ingenium maxima pericula saepe effugere possunt. Si enim in hydri os, qui in Nilo versatur, rana inciderit, frustum arundinis demorsum obliquum tam strenue tenebit ut hydrus eam cum ipsa arundine simul devorare nequeat: hydri enim os non satis amplum est quod tantum, quantum extenditur arundo, complecti possit. Itaque incolumis in extremo ore, dum in loco arundinem retinere potest, insidet rana: cuius prudentiae robur, quamvis sit ingens, hydrorum cedere necesse est.

4. Death the Brother of Sleep.

Poetae antiqui somnum fratrem mortis esse fingere solebant: hoc commemoravit Gorgias Leontinus in extrema vita positus et senio bene confectus. Ad quem infirmitate correptum atque in somnum paulatim prolapsum quidam e necessariis invisendi causa accessit et quomodo se haberet quæsivit. Gorgias autem quum mortem sibi adesse sentiret nec lugubri usus est querela neque ullam exhibuit formidinem sed haec tranquilla voce dixit, "Iam me somnus incipit suo fratri tradere."

5. Pride Humbled.

Socrates Athenis non modo philosophum sapientem sed etiam hominem prudentem semper se praestare solebat. Quum igitur Alcibiadem videret propter divitias inflatum et de agris gloriantem, adduxit eum in locum, in quo

tabula quaedam ut totum orbem terrarum ostenderet erat reposita, et Atticam ibi requirere iussit. Quam quum Alcibiades invenisset, iussu Socratis suos fundos oculis investigare conabatur. At ei per longum tempus scrutanti atque illos nusquam esse pictos tandem confitenti, respondit Socrates "In iis qui nulla pars terrae sunt non dubium est quin gloriari sit ineptissimum."

6. The Contented Mind.

Epaminondas unum habebat pallium idque sordidum; si quando illud in fullonis officinam miserat, ipse se domi ob inopiam continebat. Sed quamvis pauper esset, Thebanis praeclarum praebebat argumentum se nec infelicem nec avarum in victu tam tenui fieri. Quum enim Artaxerxes Persarum rex magnum auri pondus misisset, Epaminondas non modo non accepit sed hanc edidit sententiam haudquaquam indignam: "Equidem meis rebus exiguis contentus rege Persarum, quamvis sit opulentus, me feliciorem arbitror."

7. Sacrilege.

Puer aureum folium, quod e Dianae corona deciderat, secum sustulit, nec vero latuit. Iudices igitur, utrum quale scelus commisisset puer intelligeret necne, decernere conati, ei hic crepundia et talos, illic folium illud aureum proposuerunt. Ille vero in iudicium introductus primo lacrimas effundebat, deinde, auro iterum captatus, hoc illis rebus puerilibus anteposuit: quo facto a iudicibus inter reos sacrilegii relatus est. Itaque neque aetati veniam dabant, neque sceleris inscitiam attribuebant, sed ut sacrilegum nocentem propter id quod fecerat capitis damnaverunt.

8. The Pigs' Revenge.

Quum praedones ad Tyrrhenam terram navem piraticam appulissent, ex hara permultos sues furto abactos in navem imposuerunt: funibus, quibus religata erat, solutis ad navigandum incubuerunt. Suarii praesentibus piratis silentium tenebant, quoad e portu illi se eripuissent, et e terra abessent tantum spatii quantum vox clamantis audiri posset: tum demum consueta voce utentes sues retroversum ad se revocabant. Porci ut primum clamorem sublatum audiverunt, statim in unum navis latus collecti eam everterunt. Itaque piratae malefici naufragio mox ad unum perierunt: sues vero incolumes ad suos enatarunt.

9. Dancing Horses.

Equos inter Sybaritas tradunt esse institutos ut inter epulas ad tibiarum numeros saltarent. Quod quum Crotoniatae cognovissent, bello adversus eos incepto, tubarum sonitum aliosque, qui ad arma animos excitarent, clamores silere iusserunt: tibias vero et tibicines secum in acie adductos, quum iam hostes propius adessent, produxit Crotoniates dux iisque imperavit ut numeros ad saltandum aptos canerent. Quibus auditis, Sybaritarum equi tanquam in mediis conviviis versati equitibus excussis saltare et tripudiare inceperunt et, confuso Sybaritarum ordine, stragis cladisque causa fuerunt suis dominis.

10. Where will the Stone Fall?

Ii, qui de rerum omnium natura disceptent et sapientes inter homines habeantur, interdum facile decipiuntur.

Accidit ut Florus vivido praeditus ingenio ac sapientes dolo captandi cupidus promitteret se iis rem difficilem propositurum esse. Qui ad hanc rem explorandam intenti Florum diligenter exaudiebant rogantem; quamobrem lapis de summo malo demissus in undas, quae navis puppi alludant, praecipitetur. His dictis omnes professi se rem tam spinosam accurate esse scrutaturos ad studia philosophorumque doctrinam repetendam se contulerunt.

11.

Paucis post diebus reversi alii de oceano, alii de nave, alii de aere, sermones reconditos et exquisitos habuerunt. Tum demum Florus "Si quis," inquit, "mecum navem conscendere et de malo lapidem deicere vult, facile intelliget lapidem re vera non undas contingere sed iuxta ipsum malum transtra inter impingi. Quae quum audivissent sapientes, cum Floro navigare noluerunt, veriti ne quid in navigio detrimenti caperent; sed se ab eo deceptos esse rati, moesti omnes domum regressi sunt.

12. The Story of Datames.

Artaxerxe regnante Datames cum maximi consilii tum animi fortissimi, primum erat militum numero eorum qui regiam tuebantur: deinde rex, quod Datamis laudem male ferebat, diu bellum adversus eum gerebat. Sed tandem quod implacabile odium in Datamen susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit: quas ille plerasque vitavit: sicut, cum nuntiatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero (de quibus, quod inimici detulerant, neque recipi-

sulum neque negligendum putavit), experiri voluit verumne an falsum esset relatum.

13.

Itaque eo profectus est quo itinere futuras insidias dixerant; sed elegit corpore et statura simillimum sui eique vestitum suum dedit atque eo loco ire quo ipse consueverat iussit. Ipse autem ornatu vestituque militari inter corporis custodes iter facere coepit. At insidiatores, postquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque vestitu in eum faciunt impetum, qui suppositus erat. Praedixerat autem his Datames cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, quod ipsum vidissent. Ipse, ut concurrentes insidiatores animadvertit, tela in eos coniecit. Hoc idem cum universi fecissent, priusquam pervenirent ad eum quem aggredi volebant, confixi ceciderunt inimici.

14.

Hic tamen tam callidus vir in extremo tempore captus est dolo Mithridatis, qui per insidias persuasit Datami se infinitum adversus regem suscepisse bellum. Tum demum Datamen certiorem fecit tempus esse maiores exercitus parari, bellum cum ipso rege suscipi: de qua re, si ei videretur, quo loco vellet, in colloquium veniret. Probata re, colloquendi tempus sumitur locusque quo conveniretur. Huc Mithridates cum uno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit compluribusque locis separatim gladios obruit, eaque loca diligenter notat. Ipso autem colloquendi die utrique servos qui locum explorarent miserunt.

15.

Deinde ipsi sunt congressi. Hic cum aliquamdiu in colloquio fuissent et diversi discessisent iamque procul Datames abesset, eum Mithridates revocavit simulans se quiddam in colloquio esse oblitum. Interim telum quod latebat protulit nudatumque vagina veste texit ac Datami venienti ait digredientem se animadvertisse locum quendam, qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. Quem cum digito demonstraret et ille conspiceret, aversum ferro transfixit, priusque quam quisquam posset succurrere, interfecit. Ita vir qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

16. A Faithful Dog.

Sacrilegus quidam media nocte, quum iam sacerdotes somnus artissimus esset complexus, in Aesculapii templum ingressus permulta sacra clam surripuerat. Quem canis excubitor sacerdotibus, qui noctu in aede vigilias agebant, multo diligentior insecutus, commissum sacrilegium horribili quam maxime poterat fremitu praedicabat. Fur autem scelerisque socii magna lapidatione facta canem appetebant; deinde cum latrare non desisteret, offis et pane objectis, illum demulcere conabantur. At canis nec lapideo imbri deterritus nec dulcibus seductus illecebris custos incorruptus permansit.

17.

Sive enim fur domum, ubi habitabat, evaserat, sive inde exierat, canis ei implacabilem inexpiabilemque se praebebat: itaque tandem est intellectum unde canis, qui semper latrabat, esset, nec multo post animadversum est quae orna-

endum neque negligendum putavit), experiri voluit verumne an falsum esset relatum.

13.

Itaque eo profectus est quo itinere futuras insidias dixerant; sed elegit corpore et statura simillimum sui eique vestitum suum dedit atque eo loco ire quo ipse consueverat iussit. Ipse autem ornatu vestituque militari inter corporis custodes iter facere coepit. At insidiatores, postquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque vestitu in eum faciunt impetum, qui suppositus erat. Praedixerat autem his Datames cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, quod ipsum vidissent. Ipse, ut concurrentes insidiatores animadvertit, tela in eos coniecit. Hoc idem cum universi fecissent, priusquam pervenirent ad eum quem aggredi volebant, confixi ceciderunt inimici.

14.

Hic tamen tam callidus vir in extremo tempore captus est dolo Mithridatis, qui per insidias persuasit Datami se infinitum adversus regem suscepisse bellum. Tum demum Datamen certiorem fecit tempus esse maiores exercitus parari, bellum cum ipso rege suscipi: de qua re, si ei videretur, quo loco vellet, in colloquium veniret. Probata re, colloquendi tempus sumitur locusque quo conveniretur. Huc Mithridates cum uno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit compluribusque locis separatim gladios obruit, eaque loca diligenter notat. Ipso autem colloquendi die utrique servos qui locum explorarent miserunt.

15.

Deinde ipsi sunt congressi. Hic cum aliquamdiu in colloquio fuissent et diversi discessisent iamque procul Datames abesset, eum Mithridates revocavit simulans se quiddam in colloquio esse oblitum. Interim telum quod latebat protulit nudatumque vagina veste texit ac Datami venienti ait digredientem se animadvertisse locum quendam, qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. Quem cum digito demonstraret et ille conspiceret, aversum ferro transfixit, priusque quam quisquam posset succurrere, interfecit. Ita vir qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

16. A Faithful Dog.

Sacrilegus quidam media nocte, quum iam sacerdotes somnus artissimus esset complexus, in Aesculapii templum ingressus permulta sacra clam surripuerat. Quem canis excubitor sacerdotibus, qui noctu in aede vigilias agebant, multo diligentior insecutus, commissum sacrilegium horribili quam maxime poterat fremitu praedicabat. Fur autem scelerisque socii magna lapidatione facta canem appetebant; deinde cum latrare non desisteret, offis et pane objectis, illum demulcere conabantur. At canis nec lapideo imbri deterritus nec dulcibus seductus illecebris custos incorruptus permansit.

17.

Sive enim fur domum, ubi habitabat, evaserat, sive inde exierat, canis ei implacabilem inexpiabilemque se praebebat: itaque tandem est intellectum unde canis, qui semper latrabat, esset, nec multo post animadversum est quae orna-

menta templo deessent. Quo facto, is, qui tale furtum admiserat, in Atheniensium suspicionem adductus et tormentis cruciatus totam rem exposuit. Denique e lege hic capite damnatus extremo supplicio affectus est : cani vero, ut sacerdotibus pari custodi, cibus publice datus maximam meritamque gloriam praebebat.

18. A French Impostor.

Mantacius quum divitias paternas consumpsisset, ut pecuniam colligeret hoc consilium dolosum iniit. Hic homo callidus rerumque sagax, professus se homines mortuos reportaturum, cives Lutetienses decipere conabatur. Idcirco ut hoc manifestum exhibeat, promittit se post quindecim dies ad sepulcra iturum, ut omnes illic iacentes restituantur. Interea fama tam vulgaris exoriebatur, ut multi cives medicum tanta praeditum arte adire vellent. Hinc non modo magnam gloriam sed etiam aliquantum pecuniae consequebatur.

19.

Tandem die iam appropinquante servo penitus obstupefacto atque ut aufugeret admonenti respondit Mantacius eum ignorare quanta esset stultitia hominum. Quod quum vix dixisset, accurrit nuntius, quem miserat civis ditissimus, ut promitteret se septem sestertia medico daturum: sibi enim fuisse coniugem violentam et effrenatam; si ea revertisset, maximum sibi dolorem illaturam: se idcirco orare Mantacium ne illam pestem reportaret. Septem sestertiis persolutis Mantacius promisit se iis quae petiisset obsecutum, nulla arte usurum esse, ut illius coniugem in vitam redigeret.

20.

Mox duo iuvenes opulenti et prodigi, dum medicum obsecrant ne patrem avarum, cuius divitias ipsi acceperant, in vitam redigeret, sestertia octo praebebant. Deinde vidua etiam formosa pedibus medici deiecta "Mihi," inquit, "parce miserae; equidem alteri viro nubere volo, quod facere non potero, si vir prior per tuas artes in vitam redactus erit." Ex his aliisque civibus, qui hanc miram potestatem timebant, magnam quum accepisset pecuniam, Mantacius Lutetia egressus est, ut divitias aliunde exquireret.

21. The Strength of Association.

Rex quidam Britannorum iracundam matrem puer habuisse dicitur. Apud quam tanta in offensa erat iuvenis, ut saepissime verberatus poenas gravissimas dederit. Mater enim mulier ferox atque impotens non modo virgis ulmeis sed etiam longis candelis, quibus filium verberaret, utebatur. Rex tandem, puerili aetate peracta, patrio potitus regno dolorem, quo ipse affectus erat, in memoria tam acriter retinuit, ut iuberet ne unum quidem ex iis, qui in regia versabantur, candelis uti. Itaque tota domus taedis illuminata, quanto in odio essent regi candelae, omnibus exhibere solita est.

22. Ghost Story.

Erat Athenis spatiosa et capax domus, sed infamis et pestilens. Per silentium noctis sonus ferri et, si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebatur: mox apparebat idolon, senex macie et squalore

confectus, promissa barba, horrenti capillo: cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. Inde ab inhabitantibus tristes diraeque noctes per metum vigilabantur; vigiliam morbus et crescenti formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque, quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat. Deserta inde et damnata domus totoque illi monstro relicta: proscribebatur tamen seu quis emere seu quis conducere ignarus tanti mali vellet.

23.

Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus, omnia docetur ac nihilo minus, immo tanto magis conducit. Ubi coepit advesperascere, iubet lectum sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares, stilum, lumen: suos omnes in interiora dimittit, ipse ad scribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulacra et inanes sibi metus fingat. Initio, quale ubique, silentium noctis, dein concuti ferrum, vincula moveri: ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed offirmare animum: tum crebrescere fragor, adventare, et iam ut in limine, iam ut intra limen audiri: respicit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem.

24.

Stabat imago innuebatque digito similis vocanti: hic contra, ut paulum exspectet, manu significat rursusque ceris et stilo incumbit: illa scribentis capiti catenis insonabat: respicit rursus Athenodorus nec moratus tollit lumen et sequitur. Ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis; postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit

comitem: desertus herbas et folia concerpta signum loco ponit. Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi iubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis et implicita, quae corpus aevo terraque putrefactum nuda et exesa reliquerat vinculis: collecta publice sepeliuntur.

25. A Boundary Commission.

Q. Fabius Labeo, arbiter a senatu finium constituendorum inter Nolanos et Neapolitanos datus, cum in rem praesentem venisset, utrosque separatim monuit, ut omissa cupiditate regredi, quam progredi mallent. Quod cum utraque pars, mota viri auctoritate, fecisset, aliquantum in medio vacui agri relictum est: constitutis deinde finibus ut ipsi terminaverant, quidquid reliqui soli fuit, populo Romano adiudicavit. At sententia secundum ipsorum demonstrationem dicta, nec Nolani nec Neapolitani queri potuerunt; improbis tamen usus praestigiis Romanae civitati illos fines Labeo adiunxit.

26. The Pursuit of Knowledge.

Is, quem Britanni sapientissimum arbitrantur, omnium rerum naturam causasque tanta diligentia exquirebat, ut hominum coetum solitosque mores saepius negligeret. Cuius quum amicus ad cenam invitatus nil nisi duos pisces appositos invenisset, hospitem, qui philosophorum doctrinae operam dabat neque alias res recordabatur, diu exspectabat; primo unum, deinde alterum edit. Quibus consumptis atque conviva egresso, reversus philosophus, qualis cena esset apparata, animadvertit; sed dum patellam cibo vacuam aspicit, "Equidem", inquit, "iam cenavi;" studiis enim penitus intentus re vera est oblitus utrum cenasset necne.

3. The Cunning Frog.

Sapiens sane est Aegyptiarum genus ranarum: namque ob callidum ingenium maxima pericula saepe effugere possunt. Si enim in hydri os, qui in Nilo versatur, rana inciderit, frustum arundinis demorsum obliquum tam strenue tenebit ut hydrus eam cum ipsa arundine simul devorare nequeat: hydri enim os non satis amplum est quod tantum, quantum extenditur arundo, complecti possit. Itaque incolumis in extremo ore, dum in loco arundinem retinere potest, insidet rana: cuius prudentiae robur, quamvis sit ingens, hydrorum cedere necesse est.

4. Death the Brother of Sleep.

Poetae antiqui somnum fratrem mortis esse fingere solebant: hoc commemoravit Gorgias Leontinus in extrema vita positus et senio bene confectus. Ad quem infirmitate correptum atque in somnum paulatim prolapsum quidam e necessariis invisendi causa accessit et quomodo se haberet quæsivit. Gorgias autem quum mortem sibi adesse sentiret nec lugubri usus est querela neque ullam exhibuit formidinem sed haec tranquilla voce dixit, "Iam me somnus incipit suo fratri tradere."

5. Pride Humbled.

Socrates Athenis non modo philosophum sapientem sed etiam hominem prudentem semper se praestare solebat. Quum igitur Alcibiadem videret propter divitias inflatum et de agris gloriantem, adduxit eum in locum, in quo

tabula quaedam ut totum orbem terrarum ostenderet erat reposita, et Atticam ibi requirere iussit. Quam quum Alcibiades invenisset, iussu Socratis suos fundos oculis investigare conabatur. At ei per longum tempus scrutanti atque illos nusquam esse pictos tandem confitenti, respondit Socrates "In iis qui nulla pars terrae sunt non dubium est quin gloriari sit ineptissimum."

6. The Contented Mind.

Epaminondas unum habebat pallium idque sordidum; si quando illud in fullonis officinam miserat, ipse se domi ob inopiam continebat. Sed quamvis pauper esset, Thebanis praeclarum praebebat argumentum se nec infelicem nec avarum in victu tam tenui fieri. Quum enim Artaxerxes Persarum rex magnum auri pondus misisset, Epaminondas non modo non accepit sed hanc edidit sententiam haudquaquam indignam: "Equidem meis rebus exiguis contentus rege Persarum, quamvis sit opulentus, me feliciorem arbitror."

7. Sacrilege.

Puer aureum folium, quod e Dianae corona deciderat, secum sustulit, nec vero latuit. Iudices igitur, utrum quale scelus commisisset puer intelligeret necne, decernere conati, ei hic crepundia et talos, illic folium illud aureum proposuerunt. Ille vero in iudicium introductus primo lacrimas effundebat, deinde, auro iterum captatus, hoc illis rebus puerilibus anteposuit: quo facto a iudicibus inter reos sacrilegii relatus est. Itaque neque aetati veniam dabant, neque sceleris inscitiam attribuebant, sed ut sacrilegum nocentem propter id quod fecerat capitis damnaverunt.

8. The Pigs' Revenge.

Quum praedones ad Tyrrhenam terram navem piraticam appulissent, ex hara permultos sues furto abactos in navem imposuerunt: funibus, quibus religata erat, solutis ad navigandum incubuerunt. Suarii praesentibus piratis silentium tenebant, quoad e portu illi se eripuissent, et e terra abessent tantum spatii quantum vox clamantis audiri posset: tum demum consueta voce utentes sues retroversum ad se revocabant. Porci ut primum clamorem sublatum audiverunt, statim in unum navis latus collecti eam everterunt. Itaque piratae malefici naufragio mox ad unum perierunt: sues vero incolumes ad suos enatarunt.

9. Dancing Horses.

Equos inter Sybaritas tradunt esse institutos ut inter epulas ad tibiarum numeros saltarent. Quod quum Crotoniatae cognovissent, bello adversus eos incepto, tubarum sonitum aliosque, qui ad arma animos excitarent, clamores silere iusserunt: tibias vero et tibicines secum in acie adductos, quum iam hostes propius adessent, produxit Crotoniates dux iisque imperavit ut numeros ad saltandum aptos canerent. Quibus auditis, Sybaritarum equi tanquam in mediis conviviis versati equitibus excussis saltare et tripudiare inceperunt et, confuso Sybaritarum ordine, stragis cladisque causa fuerunt suis dominis.

10. Where will the Stone Fall?

Ii, qui de rerum omnium natura disceptent et sapientes inter homines habeantur, interdum facile decipiuntur.

Accidit ut Florus vivido praeditus ingenio ac sapientes dolo captandi cupidus promitteret se iis rem difficilem propositurum esse. Qui ad hanc rem explorandam intenti Florum diligenter exaudiebant rogantem, quamobrem lapis de summo malo demissus in undas, quae navis puppi alludant, praecipitetur. His dictis omnes professi se rem tam spinosam accurate esse scrutaturos ad studia philosophorumque doctrinam repetendam se contulerunt.

11.

Paucis post diebus reversi alii de oceano, alii de nave, alii de aere, sermones reconditos et exquisitos habuerunt. Tum demum Florus "Si quis," inquit, "mecum navem conscendere et de malo lapidem deicere vult, facile intelliget lapidem re vera non undas contingere sed iuxta ipsum malum transtra inter impingi. Quae quum audivissent sapientes, cum Floro navigare noluerunt, veriti ne quid in navigio detrimenti caperent; sed se ab eo deceptos esse rati, moesti omnes domum regressi sunt.

12. The Story of Datames.

Artaxerxe regnante Datames cum maximi consilii tum animi fortissimi, primum erat militum numero eorum qui regiam tuebantur: deinde rex, quod Datamis laudem male ferebat, diu bellum adversus eum gerebat. Sed tandem quod implacabile odium in Datamen susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit: quas ille plerasque vitavit: sicut, cum nuntiatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero (de quibus, quod inimici detulerant, neque recipi-

endum neque negligendum putavit), experiri voluit verumne an falsum esset relatum.

13.

Itaque eo profectus est quo itinere futuras insidias dixerant; sed elegit corpore et statura simillimum sui eique vestitum suum dedit atque eo loco ire quo ipse consueverat iussit. Ipse autem ornatu vestituque militari inter corporis custodes iter facere coepit. At insidiatores, postquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque vestitu in eum faciunt impetum, qui suppositus erat. Praedixerat autem his Datames cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, quod ipsum vidissent. Ipse, ut concurrentes insidiatores animadvertit, tela in eos coniecit. Hoc idem cum universi fecissent, priusquam pervenirent ad eum quem aggredi volebant, confixi ceciderunt inimici.

14.

Hic tamen tam callidus vir in extremo tempore captus est dolo Mithridatis, qui per insidias persuasit Datami se infinitum adversus regem suscepisse bellum. Tum demum Datamen certiorem fecit tempus esse maiores exercitus parari, bellum cum ipso rege suscipi: de qua re, si ei videretur, quo loco vellet, in colloquium veniret. Probata re, colloquendi tempus sumitur locusque quo conveniretur. Huc Mithridates cum uno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit compluribusque locis separatim gladios obruit, eaque loca diligenter notat. Ipso autem colloquendi die utrique servos qui locum explorarent miserunt.

15.

Deinde ipsi sunt congressi. Hic cum aliquamdiu in colloquio fuissent et diversi discessisent iamque procul Datames abesset, eum Mithridates revocavit simulans se quiddam in colloquio esse oblitum. Interim telum quod latebat protulit nudatumque vagina veste texit ac Datami venienti ait digredientem se animadvertisse locum quendam, qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. Quem cum digito demonstraret et ille conspiceret, aversum ferro transfixit, priusque quam quisquam posset succurrere, interfecit. Ita vir qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

16. A Faithful Dog.

Sacrilegus quidam media nocte, quum iam sacerdotes somnus artissimus esset complexus, in Aesculapii templum ingressus permulta sacra clam surripuerat. Quem canis excubitor sacerdotibus, qui noctu in aede vigilias agebant, multo diligentior insecutus, commissum sacrilegium horribili quam maxime poterat fremitu praedicabat. Fur autem scelerisque socii magna lapidatione facta canem appetebant; deinde cum latrare non desisteret, offis et pane objectis, illum demulcere conabantur. At canis nec lapideo imbri deterritus nec dulcibus seductus illecebris custos incorruptus permansit.

17.

Sive enim fur domum, ubi habitabat, evaserat, sive inde exierat, canis ei implacabilem inexpiabilemque se praebebat: itaque tandem est intellectum unde canis, qui semper latrabat, esset, nec multo post animadversum est quae orna-

menta templo deessent. Quo facto, is, qui tale furtum admiserat, in Atheniensium suspicionem adductus et tormentis cruciatus totam rem exposuit. Denique e lege hic capite damnatus extremo supplicio affectus est: cani vero, ut sacerdotibus pari custodi, cibus publice datus maximam meritamque gloriam praebebat.

18. A French Impostor.

Mantacius quum divitias paternas consumpsisset, ut pecuniam colligeret hoc consilium dolosum iniit. Hic homo callidus rerumque sagax, professus se homines mortuos reportaturum, cives Lutetienses decipere conabatur. Idcirco ut hoc manifestum exhibeat, promittit se post quindecim dies ad sepulcra iturum, ut omnes illic iacentes restituantur. Interea fama tam vulgaris exoriebatur, ut multi cives medicum tanta praeditum arte adire vellent. Hinc non modo magnam gloriam sed etiam aliquantum pecuniae consequebatur.

19.

Tandem die iam appropinquante servo penitus obstupefacto atque ut aufugeret admonenti respondit Mantacius eum ignorare quanta esset stultitia hominum. Quod quum vix dixisset, accurrit nuntius, quem miserat civis ditissimus, ut promitteret se septem sestertia medico daturum: sibi enim fuisse coniugem violentam et effrenatam; si ea revertisset, maximum sibi dolorem illaturam: se idcirco orare Mantacium ne illam pestem reportaret. Septem sestertiis persolutis Mantacius promisit se iis quae petiisset obsecutum, nulla arte usurum esse, ut illius coniugem in vitam redigeret.

20.

Mox duo iuvenes opulenti et prodigi, dum medicum obsecrant ne patrem avarum, cuius divitias ipsi acceperant, in vitam redigeret, sestertia octo praebebant. Deinde vidua etiam formosa pedibus medici deiecta "Mihi," inquit, "parce miserae; equidem alteri viro nubere volo, quod facere non potero, si vir prior per tuas artes in vitam redactus erit." Ex his aliisque civibus, qui hanc miram potestatem timebant, magnam quum accepisset pecuniam, Mantacius Lutetia egressus est, ut divitias aliunde exquireret.

21. The Strength of Association.

Rex quidam Britannorum iracundam matrem puer habuisse dicitur. Apud quam tanta in offensa erat iuvenis, ut saepissime verberatus poenas gravissimas dederit. Mater enim mulier ferox atque impotens non modo virgis ulmeis sed etiam longis candelis, quibus filium verberaret, utebatur. Rex tandem, puerili aetate peracta, patrio potitus regno dolorem, quo ipse affectus erat, in memoria tam acriter retinuit, ut iuberet ne unum quidem ex iis, qui in regia versabantur, candelis uti. Itaque tota domus taedis illuminata, quanto in odio essent regi candelae, omnibus exhibere solita est.

22. Ghost Story.

Erat Athenis spatiosa et capax domus, sed infamis et pestilens. Per silentium noctis sonus ferri et, si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebatur: mox apparebat idolon, senex macie et squalore

confectus, promissa barba, horrenti capillo: cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. Inde ab inhabitantibus tristes diraeque noctes per metum vigilabantur; vigiliam morbus et crescenti formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque, quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat. Deserta inde et damnata domus totoque illi monstro relicta: proscribebatur tamen seu quis emere seu quis conducere ignarus tanti mali vellet.

23.

Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus, omnia docetur ac nihilo minus, immo tanto magis conducit. Ubi coepit advesperascere, iubet lectum sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares, stilum, lumen: suos omnes in interiora dimittit, ipse ad scribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulacra et inanes sibi metus fingat. Initio, quale ubique, silentium noctis, dein concuti ferrum, vincula moveri: ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed offirmare animum: tum crebrescere fragor, adventare, et iam ut in limine, iam ut intra limen audiri: respicit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem.

24.

Stabat imago innuebatque digito similis vocanti: hic contra, ut paulum exspectet, manu significat rursusque ceris et stilo incumbit: illa scribentis capiti catenis insonabat: respicit rursus Athenodorus nec moratus tollit lumen et sequitur. Ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis; postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit

comitem: desertus herbas et folia concerpta signum loco ponit. Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi iubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis et implicita, quae corpus aevo terraque putrefactum nuda et exesa reliquerat vinculis: collecta publice sepeliuntur.

25. A Boundary Commission.

Q. Fabius Labeo, arbiter a senatu finium constituendorum inter Nolanos et Neapolitanos datus, cum in rem praesentem venisset, utrosque separatim monuit, ut omissa cupiditate regredi, quam progredi mallent. Quod cum utraque pars, mota viri auctoritate, fecisset, aliquantum in medio vacui agri relictum est: constitutis deinde finibus ut ipsi terminaverant, quidquid reliqui soli fuit, populo Romano adiudicavit. At sententia secundum ipsorum demonstrationem dicta, nec Nolani nec Neapolitani queri potuerunt; improbis tamen usus praestigiis Romanae civitati illos fines Labeo adiunxit.

26. The Pursuit of Knowledge.

Is, quem Britanni sapientissimum arbitrantur, omnium rerum naturam causasque tanta diligentia exquirebat, ut hominum coetum solitosque mores saepius negligeret. Cuius quum amicus ad cenam invitatus nil nisi duos pisces appositos invenisset, hospitem, qui philosophorum doctrinae operam dabat neque alias res recordabatur, diu exspectabat; primo unum, deinde alterum edit. Quibus consumptis atque conviva egresso, reversus philosophus, qualis cena esset apparata, animadvertit; sed dum patellam cibo vacuam aspicit, "Equidem", inquit, "iam cenavi;" studiis enim penitus intentus re vera est oblitus utrum cenasset necne.

27. Ancient Cannibals.

Ferunt Indorum barbaram gentem in orientis partibus habitare solere, qui Padaei vocati hoc instituto uterentur. Si quis civium morbo laborabat, sive mulier sive vir erat, tunc virum vivi maxime familiares occidebant, professi eum si morbo consumptus esset non ad edendum fore idoneum. Ille autem negabat se aegrotare; hi vero non assentientes illo interfecto epulabantur. Si quando mulier aegrotabat, pariter mulieres eadem faciebant. Ex his facile intelligendum est, haud multos ad senectutem pervenire potuisse: sin autem id accidit, senis ad aram deorum mactati carne vescebantur.

28. The Miller.

Homines quidam, seditione ac discordia concitata, in diversas partes discedunt. Militibus tandem ad provinciam missis, ut multos, qui contra regem arma sumpserant, oppressos trucidarent, rex imperavit. At quum ab iis Balatro, qui pistrino multisque servis praeerat, praecipue peteretur, servo quem fidelissimum habuit, ut simularet se esse Balatronem, persuasit. Itaque Balatro ipse tecto delituit: servus autem a militibus oppressus excruciatusque, se esse Balatronem magna voce negavit. Cui respondit dux "Tu merito supplicium pateris: si enim es Balatro, ut homo nequam morieris; sin autem nos conaris decipere, mendacii poenam dabis." His dictis servus infelix pro domino Balatrone est suspensus.

29. Waste of Words.

Samii Spartam venerunt, ut opem a Lacedaemoniis peterent. Introducti ad magistratus, sollicitis animis multa

verba faciebant. Illi autem, primo constituto concilio, Samiis responderunt se ea, quae prima dixissent, oblitos esse; ea, quae secuta essent, non intelligere. Posthac iterum admissi Samii, dum saccum offerunt, nihil aliud dicunt nisi haec verba "Saccus farina indiget." Quibus Spartani responderunt eos vocabulum "saccus" omittere potuisse. Nec tamen Samiis auxilium praestare noluerunt, sed magnum apparatum navalem mittere decreverunt.

30. Out of Frying Pan into the Fire.

Bubulcus vitulum, dum gregem armentorum pascit amissum, per omnes solitudines diu vagatus quaerebat: quem ubi nusquam invenire potuit, Iovem precatus promisit, si furem, qui vitulum abstulisset, ostendisset, hoedum in sacrificio se oblaturum. Deinde in quercetum progressus leone vitulum devoratum cognovit. Trepidus igitur et humi demissus manibus ad caelum sublatis, ait, "O Iuppiter, promisi me tibi hoedum daturum esse, si furem invenissem: nunc autem taurum tibi me sacrificaturum polliceor, si istius morsum leonis incolumis effugerim."

31. Unpopular Vatinius.

Casellius iurisconsultus non modo propter urbanitatem et facetias sed ob dicendi licentiam laudem maximam consecutus est: neque enim cum seriis ioca interdum coniungere noluit. Vatinius, qui propter corporis deformitatem et vitae turpitudinem omnibus in odio erat, dum gladiatorium munus edit, ab omni parte lapillis est ita petitus, ut gravi dolore afficeretur. Quo facto, quum ad aediles accessisset, effecit ut ii edicerent, ne cui in arenam nisi pomum demittere liceret. Haud multo post Casellium ab amico

consultum utrum nux pinea pomum habenda esset necne, respondisse ferunt, "Si in Vatinium missurus es, pomum est."

32. Compulsion or Persuasion?

Sol et ventus Aquilo olim certabant uter esset fortior. Itaque inter eos convenit ut vires in viatore experirentur: e quibus qui amictum homine excussisset, palmam ferret. Viator igitur nimbo horribili et stridenti aquilone oppressus amictum adhuc diffusum ad se adduxit. Quum autem sol nimbo paulatim evicto radiare inciperet, et viator magis magisque aestuaret, ob calorem progredi non potuit: sed abiecto amictu in nemore, ut frigus captaret, resedit. Itaque soli, ut homine victo, victoria contigit.

33. Crocodile Hunting.

Crocodilorum venatio multis et variis modis inter Aegyptios instituta est: quorum eum, qui maxime memoratu dignus videtur, exponam. Suis tergus pro esca hamo insertum in medium flumen demittit venator: ipse in ripa fluminis vivum habet porcellum, quem vehementer ferit. Crocodilus autem, voce porcelli audita, ad eius sonum accurrit: in tergus vero suis ubi incidit, illud devorat: mox in terram detrahitur. Postquam in terram extractus est, primum oculos eius luto oblinit venator: eo facto admodum facile reliqua administrat: sin autem illi obstatur, quominus id faciat, non sine labore res conficitur.

34. Roman Names.

"Asina" inquit hic "quod viro non mediocri cognomen est, velim dicas unde contigerit; quum hoc nomen contume-

liae quam honori propius videatur." Tum respondit ille: "Neque honor neque iniuria sed casus cognomina eiusmodi fecit. Namque iis, qui nomine gentili Corneliis usi sunt, cognomen Asina est additum, quoniam quum ab homine quodam Corneliae gentis principe, fundum empturo, sponsores solemniter poscerentur, subito asinam cum onere pecuniae in forum productam, quasi pro sponsoribus pignus praesens, Cornelii iussu servi afferebant. De quo casu in posterum ad nomen gentile hoc cognomen accessit."

35. The Industry of Cleanthes.

Cleanthes primo pugil fuerat: sed quum Athenas ad Zenonem se contulisset, in philosophorum doctrinam acerrime incubuit. Qui Zenonis decreta discere adeo voluit, ut laboris studio sit celebratus; quippe qui cum pauper esset, pecuniae colligendae esset valde appetens; noctu enim in aquis ex hortis exhauriendis, die vero in sermonibus exercebatur. Ferunt eum in iudicium abductum esse, ut rationem redderet, unde tam opimo corporis habitu praeditus victum sibi quaereret: quem et horti custode apud quem exhauriebat, et pistore apud quem farinam molebat, testibus productis, iudicio liberatum esse.

36. A Valuable Pillow.

Accidit ut eques Romanus ex aere alieno tam graviter laboraret, ut amplius ducenties HS. deberet. Quum hanc tam grandem pecuniam persolvere nequiret, ad hoc celandum maximam, dum vivit, adhibebat curam. Iam tandem quum mortem obiisset, et bona sub hasta essent vendenda, quantum esset aes alienum undique renunciatur. Quod

quum ad Augustum principem allatum esset, uni e libertis, ut statim ad auctionem properaret et culcitam cubicularem equitis iam mortui emeret, imperavit. Maecenati autem aliisque sodalibus hoc praeceptum mirantibus hanc rationem reddidit Augustus; illam culcitam maximi esse aestimandam, in qua is, qui tantum pecuniae deberet, securus dormire posset.

37. Heads and Tails.

A Romanis scriptoribus traditur fabula in regem Ianum magna beneficia deum Saturnum contulisse. Quem ubi classe pervectum rex hospitio exceperat, et ab eo edoctus quo modo agri iuste essent colendi, pro rudi victu fruges nuper inventas acceperat, Saturno semper maximam gratiam habebat. Idcirco quum primus quoque aera signaret, eius rei memoriam in posterum tradidit. Saturnum adeo venerabatur ut, quoniam ille nave fuisset avectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera navis exprimeretur. Aere igitur ita signato, dum Romani pueri aieam ludunt, denarios in sublime iactant et "capita aut navim" exclamant.

38. False Friendship.

Duobus amicis una iter facientibus ursa fit obviam: e quibus unus perterritus, ut periculum evitaret, arborem conscendit, alter, cum se imparem ursae fore et, si pugnare vellet, superatum iri intelligeret, humi deiectus, se mortuum esse simulabat. Ursa vero, ut accessit, aures et os iacentis et spiritum continentis contrectat, tunc eum cadaver esse rata abit. Mox alter, qui inter frondes arboris latuerat, descendit: cui percunctanti quidnam in aure eius iacentis

dixisset ursa respondit amicus ursam se monuisse, ne postea cum istiusmodi amicis iter faceret.

39. Dear Eggs.

Rex quidam quum inter Batavos iter faceret, in oppidulo constitit, ut se suumque equum reficeret; cui roganti, qualis cena sibi comparari posset, respondit caupo, qui agresti hospitio praefuit, se libenter regi ova gallinarum praestiturum. Imperavit rex ut quam celerrime ea apponeret: quae apposita quum cupide edisset, quanti constarent sciscitatus, cognovit quingentos sestertios sibi esse persolvendos. "Edepol," inquit rex obstupefactus, "inter Batavos rara et infrequens avis gallina esse videtur, si quidem tria ova quingentis sestertiis veneunt." Cui respondit caupo: "Nobis et gallinarum et ovorum est satis magna copia, reges autem haud frequenter in hoc hospitio excipimus."

40. The Biter Bit.

Philosophos quidem per indignationem in cavillationes nonnunquam incurrisse negare nequeo. Nam cum Antigoni regis libertus, ex humili et turpi servitio ad novas divitias nuper erectus, philosophos ad convivium congregasset, multa et minuta sciscitatus iis irridere conatus est. Tandem scire se velle dixit, cur ex nigra et alba faba pulmentum unius coloris edatur. Aridices philosophus quum hoc aegre ferret, "At tu," inquit, "hanc rem ambiguam fac ut resolvas, cur de albis et nigris loris similes maculae gignantur." Quibus verbis auditis, libertus, qui servus olim verberibus saepius est affectus, subito obstupefactus, nec philosophos neque alios posthac unquam cavillari conabatur.

41. A Reproof.

Mercurius cognoscendi cupidus quanti apud homines esset, statuarii domum in hominis speciem transformatus ivit et visa Iovis statua, statuarium rogavit quanti eam emere posset. Quum autem dixisset "drachmæ," risu Mercurius dixit, "Quanti Iunonis statua constat?" "Pluris," respondit alter. Tunc deus suam ipsius statuam conspicatus, ac sui ut nuntii deorum et quaestuosi summam rationem homines habere ratus; "Dic mihi," inquit, "nonne haec maximi constat pretii?" "Minime: nam si hasce alias emeris, libenter hanc gratuitam adiciam."

42. A Useful Donkey.

C. Mario ominis observatio quondam saluti erat, quo tempore hostis a senatu iudicatus in domum Fanniae Minturnas custodiae causa deductus est. Animadvertit enim asellum, neglecto quod ei obiciebatur pabulo, ad aquam procurrentem. Quod rei venturae signum habendum esse ratus, alioquin religionum interpretandarum peritissimus, a multitudine, quae ad opem ferendam confluxerat, impetravit ut ad mare perduceretur. Protinus naviculam conscendit, in qua in Africam pervectus arma Sullae victricia effregit.

43. Cyrus and his Soldiers.

Ubi omnes milites convenerunt, Cyrus, ut quam primum ab Astyage, rege Medo, desciscerent, hoc usus est consilio. Illos Persicae regionis tractum spinis obsitum iussit uno die falcibus purgare: proposito labore iam tandem Persis perfunctis, iisdem Cyrus praedixit ut in posterum diem loti

adessent: interim caprarum oviumque greges omnes in unum congregatos interfecit paravitque: ubi postridie Persae convenerunt, discumbere per herbam iussos lautis epulis recepit. Deinde postquam a cena surrexerant, ex iis quaesivit Cyrus, utrum potiora viderentur quae pridie an quae ipso die passi essent.

44.

Multum illi interesse responderunt: pridie enim omnia se mala habuisse, deinde omnibus bonis fructos esse. Quibus dictis, "Viri Persae," inquit, "ita res se habet: si me sequi vultis, his et plurimis aliis bonis certe fruemini; sin autem regi Astyagi obsequemini, labores, quales erant hesterni, habebitis perpetuos. Persae igitur, qui iam pridem Medorum imperium aegre ferebant, ducem tandem nacti, libenter in libertatem se vindicaverunt: Cyrus autem his usus adiutoribus et Medorum regno potitus, iis praemia large effuseque donabat.

45. Why are Frogs Dumb at Seriphus?

Seriphii de suis ranis gloriantur eas strepentes Persea, quum magno e certamine adversus Medusam commisso rediret et longo itinere peracto prope lacum fessus requiesceret, ne somnum caperet, interpellasse: idcirco eum molestia affectum a Iove patre deprecatum esse, ut ranae quominus clamarent impedirentur. Quibus precibus exauditis, patrem filio suo gratificatum ranas illius loci incolas silentii perpetui damnavisse. Theophrastus autem homo sagacissimus non modo hanc fabulam explodit, sed Seriphios gloriantes redarguit: frigidis enim aquis, non Persei insomniis ranarum silentium esse imputandum.

46. A Patriotic Mule.

Mulus Atheniensis quidam iam vetulus, quamvis ab omni onere vehendo tandem immunis factus esset, studio laborum liberatus esse noluit. Namque ubi Athenienses Parthenonem Minervae templum aedificabant, nulla re onustus sua sponte cum mulis adolescentibus, qui de Pentelico marmor portabant, tanquam ad iter faciendum socius et hortator ambulabat, et iuniores ipse aetate confectus ultro citroque progressus incitare conabatur. Quod quidem ut populus Atheniensis intellexit, per praeconem declarari iussit, ne a frumento neve ab hordeo prohiberetur; itaque decretum est ut pretium iustum ei, sicut athletae iam rude donato, ex aerario penderetur.

47. A Convenient Accident.

Protogenes pictor egregius equum ab exercitatione venientem modo non vivum mira arte reddiderat. Cuius tamen spumam anhelantis se exprimere potuisse non iudicavit, quum in reliqua parte tabulae omni, quod difficillimum erat, sibi ipsi satisfecisset. Cum enim spuma pingi, non ex ore nasci videretur, anxio animi cruciatu colores saepius absterserat, saepe penicillum mutaverat. Postremo indignatione accensus corripit spongiam, omnibus imbutam coloribus, forte iuxta se positam et veluti corrupturus opus suum tabulae illisit. Quae ad ipsas nares equi directa forte desiderium pictoris explevit; et quod ars adumbrare non valuit, casus imitatus est.

48. The Death of the Tyrant Jason.

Utrum satis iusta ultione Iason Thessalus tyrannus absumptus sit necne, incertum est. Taxillo enim gymnasi-

archo, a quibusdam iuvenibus pulsatum se conquesto, permisit ut aut tricenas ab his drachmas exigeret aut denas plagas singulis imponeret. Iuvenes autem quum iustis verberibus essent caesi, et poenae modum animi, non corporis dolore aestimarent, ad Iasonem ulciscendum consilium inibant. E quibus alii in Taxillum ut crudelem et immanem animadvertere volebant, alii antem a Iasone, quod iniuriae auctor fuisset, poenas repetendas censebant. Haud multo post Iason dum faciles aditus privatorum ad se admittit, ab his septem iuvenibus interfectus iniquam potestatem expiavit.

49. Kalid's Sagacity.

Kalidus inter Persas ob animum providum et sagacem praeclarus, quondam sub incauto duce ad hostes vincendos legatus missus est. Quum autem dux, ut se recuperaret, agmen constituisset, subito damarum grex e deserto effugiunt atque inter milites discurrunt. Quae dum videt Kalidus, statim ducem admonet, ut milites extemplo arma expedire iubeat. Dux autem respondet, "Quid vis?" "Hostes praesto sunt," inquit Kalidus, "damae enim natura ferae in nostra castra ab exercitu hostili se immittere coactae sunt." His dictis quum iam milites vix in equos insiluissent, agmen hostile adesse omnes vident: undique acclamatum se unumquemque ad Kalidi prudentiam vitam suam et salutem debitam referre.

50. Addition of Fractions in the East.

Homo moriturus quidam equos septendecim inter tres filios dividendos reliquerat. Qui quidem alius in alium se iustum praestandi alioquin cupidi, equos tamen in eas partes, quas pater descripserat, dispertire nequeunt. Nam

ille dimidiam, tertiam, nonam partem singulis pro sua aetate iusserat distribui. Fratres ergo rei difficultate devicti ad iudicem se contulerunt, et cum unus causam accurate exposuisset, se patris voluntati obsequi velle, sed quomodo septendecim equos iuste possent dividere, nisi nonnullos discidissent, rationem habere non posse, iudex silentio facto rem disceptandi diem differre decrevit, ut paucis post diebus suam cuique partem iustam ipse distribueret.

51.

Septem autem diebus peractis, ad certum tempus fratres apud iudicem iterum accedentes, quid consilii iniisset rogaverunt: quibus respondit iudex, "Vultisne ampliorem quam debitam partem de haereditate accipere?" "Immò vero," illi libenter responderunt. Iudex igitur eos in agrum duxit, in quo non modo septendecim equi, sed equus etiam alius, quem ipse immiserat, pascebantur; et fratri natu maximo imperavit ut partem dimidiam, secundo ut partem tertiam, natu minimo ut partem nonam reciperet. Itaque primo novem, secundo sex, tertio duobus equis pro sua cuique parte distributis, iudex ipse, postquam animi non modo integritatem, sed etiam benevolentiam tali iudicio monstraverat, equum suum domum reducit.

52. Democritus and the Honey.

Fama est Democritum Abderitem ob taedium senectutis de quotidiano cibo aliquid detrahendo mortem sibi consciscere decrevisse. Sed instantibus iam Thesmophoriis eum ancillae rogaverunt, ne per id celeberrimum tempus moreretur, quippe quae eo mortuo illos solemnes et festos

dies agere non possent. Hic annuit igitur, et, quum mellis vas sibi propius admoveri iussisset, vitam multos dies mellis odore et halitu continuatam sic prorogavit. Thesmophoriis autem tandem peractis, ac melle asportato, quo delectatus fuerat, Democritus haud invitus exspiravit; servae illis fructae diebus alium dominum aliamque familiam quaerere moestae cogebantur.

53. Bird-catching.

Otos ex Libya vicina Alexandriam transire tradunt. Haec avis imitatrix est eorum, quae praecipue ab hominibus fieri videt; quidquid enim aucupem facientem cernit, idem ipsa agere coepit. Stantes igitur ex adverso aucupes oculos suos medicamento quodam oblinunt; dum aliud, quod oculorum cilia glutinet, non procul a se in patellis appositum habent. Quos sese ungentes oti conspicati idem extemplo faciunt; itaque medicamento in oculos iniecto ciliisque cohaerentibus neque aspicere hostes neque aufugere possunt. Aucupes igitur has aves facillime deceptas non sine risu secum auferunt.

54. The Artful Elephant.

Pictor elephantum esse providum animal ex hac clade certe intellexit. Elephantum enim, dum proboscidem alte sublatam retinet, per imaginem exhibere voluit; itaque puero imperavit ut poma in os illius iniceret. Quo poma iniciente diu elephas proboscidem extollebat; at, quum iam illa defuissent, nec quid sibi esset faciendum sciret puer, re vera ei illudens poma se offerre simulabat. Idcirco animal id sagax, quum nihil in ore reciperet, non modo proboscidem demisit sed puerum impudentem ultum est: imaginem enim

paene confectam, peracutis dentibus totam pertusam, pessum dedit puerumque invicem ludibrio affecit.

55. Amasis and his Thefts.

Amasis privatus nullo modo in serias res animum intendebat sed cum scurris et compotoribus aetatem degebat; ubi autem potanti necessaria defecerant, furto aliena auferre solebat. Ab iis autem, qui eum sua bona habere affirmabant, accusatus ad proxima quaeque templa deducebatur, et modo condemnatus modo absolutus decedebat Amasis. Postquam autem regno potitus est, quicumque Di furti criminis absolverant, eorum templa negligebat, neque iis sacra faciebat, quippe qui nullius essent momenti neque oracula veridica exhiberent. Qui vero furti arguerant, his, ut vera dicentibus, praecipuam curam praestabat.

56. An Incurable.

Traditur Carlinus, comoedus inter Patavinos praeclarus, lepide et iocose partes agere solitus esse. Illo tempore homo vultu tristi et capite demisso tabernam medici, qui propter artem laudem maximam consecutus erat, petit, eumque obsecrat, ut ad morbum gravissimum remedium adhibeat; se enim aegrum animi esse. Quae quum audivisset medicus, dixit opus esse eum ad theatrum ventitare, ut, dum Carlinum histrionem iocose partes agentem observat, laetitiam concipere possit. "Frustra," respondit alter, "hoc me admones: ego Carlinus sum; dum alios per iocos et ludicra delecto, ipse gravissimo dolore afficior. Quae quum ita sint, hic morbus mihi videtur esse insanabilis."

57. The Greatest Liar.

Quum augur ob priscam severitatem praeter ceteros praeclarus pedibus ibat, in sutores sordidos et incultos forte incidit. Quos quum animadvertisset tam clare exclamantes ut omnibus praetereuntibus molestiam gravem adhiberent, rogavit, "Quid vultis?" Illi respondit unus e sutoribus se amphora vino plena potitos decernere velle, quis ea dignus esset. Ad id perficiendum se omnes mendacia quam impudentissime dicere, ut ei, qui maxime mentitus esset, amphora daretur. Quibus dictis obstupefactus augur monuit pessimi esse exempli tantis et tot mendaciis uti: se autem nunquam mentitum esse. "At tibi danda est amphora," conclamant omnes; "tu maximo usus mendacio hanc merito accipies."

58. Popular Taste.

Polycletus, cuius signa mira arte perfecta fuerunt, duo simulacra uno eodem tempore, alterum multitudini obsecutus, alterum de artis norma, olim confecit. Primum enim ex sententia singulorum, qui intrabant, finxit alia parte commutata, alia reformata, ut praecepto uniuscuiusque diligentissime obediret; alterum autem maxima usus arte ipse solus perfecit. Utrumque ergo tandem hoc modo expolitum in medium proposuit; ex quibus sane alterum in admiratione omnibus, alterum erat ludibrio. Hoc iudicio accepto Polycletus, "At hoc," inquit, quod vituperatis, vos fecistis, illud vero, quod admiramini, ego:" quod maximo fuit argumento, quantum illius ars et disciplina vulgarem popularemque sensum superaret.

59. A Ghost Story.

Chrysippus refert, apud Megaream tabernam Atheniensem quendam zonam auro plenam secum ferentem devertisse. Illum vero caupo, apud quem vesperi deverterat, quum pecuniam avide respiceret, ex insidiis obtruncat; deinde caesum atque in plaustro, in quo fimus vehebatur, absconditum extra urbem portare vult. At Atheniensis ita trucidati anima Megarensi alii noctu adstitit, et, quid factum esset et a quo et quomodo et quas per portas corpus exportandum esset, enarravit. Ille vero quum ea audivisset, haud segniter prima luce exsurgit observatoque plaustro manibus iniectis e fimo cadaver eruit. Quo facto hic quidem sepulturae, ille vero supplicio datus est.

60. Persian Stratagem.

Persae postquam obsidione urbem Barcam cinxerunt, et cuniculis, quibus in urbem intrarent, usi sunt, et validos in murum impetus fecerunt. Quibus rebus quum multum temporis tereretur, et multi utrinque caderent, pedestrium Persarum dux, ratus Barcaeos non vi sed dolo vinci posse, hanc rationem iniit. Noctu latam fodit fossam, cui ligna parum solida instravit, et super ligna humum ita ingessit, ut reliquae terrae aequalis esset. Ut illuxit, Barcaei, ad colloquium invitati, illi libenter morem gesserunt; denique omnibus placuit a bello utrumque discedere. His compositis, dum super occultam fossam utrique sacrificant, his condicionibus pacem conciliant: "quamdiu haec terra ita manebit, integrum manebit iusiurandum."

61.

Barcaei promittunt mulctam se regi soluturos; Persae, se nihil porro contra Barcaeos novaturos. Foedere peracto, omnibus urbis portis apertis, Barcaei Persis adeo confidebant, ut et ipsi urbe egrederentur, et hostium quicunque intra muros vellet ingredi paterentur. At Persae occulto ponte disrupto in urbem irruebant. Pontem autem, quem fecerant, ob hanc causam interruperunt, ut iureiurando se liberarent, quo cum Barcaeis obstricti erant; tamdiu ratum fore foedus, quamdiu terra in eo statu, quo tunc fuisset, permansura esset. Itaque dolo devicti Barcaei Persis concedere coacti sunt.

62. A Valuable Lesson.

Adolescens quidam Eretricus Zenonis domum, qui multos discipulos ad sapientiam adipiscendam colligebat, longum tempus frequentaverat. Reversum vero pater homo subrusticus et incultus interrogavit, quid tandem sapientiae apud Zenonem didicisset. Ille vero re ipsa se id ostensurum pollicitus est: pater autem, haec dicta maxime indignatus, multa verbera scilicet inerti nugatori intentabat. Interea adolescens quietem agebat neque haec omnia impatienter ferebat; hoc ipsum enim ait se ab Zenone didicisse, non modo iram patris sustinere sed convicium etiam idque iniustum non aegre ferre: tali modo se Zenonis doctrina dignam praestabat.

63. Beef or Pastry?

Lysandro Spartiatae, quum in Ioniam venisset, hospites, qui Ioniam colebant, inter alia bovem et placentam dono

miserunt. Ille vero placentam intuitus nuntium rogabat, quidnam esset id quod offerret. Cui quum is, qui attulerat, respondisset, id e melle, caseo, aliisque nonnullis confectum esse, idemque omnibus, Ionibus gratissimum, "At illud," inquit Lysander, "date servis Helotibus: non enim liberi civis cibus est." Bovem autem ad patrium morem apparari iussit et maxima cum voluptate ipse cenavit: placenta autem, utrum Helotes fruerentur necne, pro incerto habendum est.

64. An Ancient Lunacy.

Thrasyllus inusitata quadam dementia quondam afficiebatur. Urbe enim Athenis relicta, in Piraeum migravit atque ibi habitans omnes naves ad eum appulsas suas esse putabat et in rationes suas accurate referebat: quibus salvis in portum reversis supra modum gaudebat. Quem multos annos hoc morbo implicitum frater e Sicilia reversus medico tradidit, ut sanaretur. Itaque ab hoc morbo tandem liberatus vitam in amentia actam saepissime recordabatur; negavitque se unquam gaudium percepisse tantum, quantum tunc ex navibus illis, quae ad se nihil pertinerent, servatis percipere solitus esset.

65. Dyed Hair.

Ceus quidam, iam senex, Lacedaemonem venit: quem gloriosum ostentatorem senectutis pudebat: ideoque crines, qui natura cani erant, tinctura dissimulare conabatur. Hic autem hac arte dolosa usus, quum in contionem Lacedaemoniorum prodiisset, negotium, de quo apud Lacedaemonios venerat, coram populo exposuit. Quibus expositis consurgit Archidamus rex et ad cives conversus interrogat,

"Quid Ceus hic sani consilii dicere potest, quippe qui non in animo tantum sed etiam in capite mendacium circumferre videatur?" Hoc dicto obedientes cives, dum ingenium Cei ex iis, quae videndo cognoscere possunt, redarguunt, ea, quae proponit, strenue reiciunt.

66. The Fighting Habits of the Magnetes.

Magnetes accolae Maeandri bellum contra Ephesios gerentes reputare videbantur ea, quae per alios facerent, se ipsos facere. Singuli enim equites non modo canem venaticum sed servum etiam iaculatorem secum ad proelium ducebant. Quum vero concurrendum esset, canes prosilientes, quoniam erant visu terribiles et in occursu minime mites, aciem hostium saepe turbabant. Deinde servi ante dominos iaculati, postquam iam acies per impetum caninum erat turbata, ad victoriam consequendam auxilium ferebant. Tum demum tertio loco Magnetes equites in hostem et per canes et per servos inclinantem ipsi invadebant.

67. True Friendship.

Damon et Phintias tam fidelem inter se amicitiam iunxerunt, ut, quum alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere vellet, atque is tempus ab eo, quo, priusquam periret, domum profectus res suas ordinaret, impetravisset, alter vadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitavit. Igitur omnes et in primis Dionysius novae atque ancipitis rei exitum speculabantur. Appropinquante deinde definita die neque illo redeunte, dum unusquisque stultitiae tam temerarium sponsorem damnat, is nihil de amici constantia

se metuere praedicat. Cum autem ad diem alter se recepisset, admiratus amborum animum tyrannus supplicio remisso petivit, ut se ad amicitiam tertium ascriberent.

68. The Meeting of Brothers.

Miles, qui in castris Cn. Pompeii stipendia merebat, quum Sertorianum militem acrius sibi in acie instantem cominus interemisset, iacentemque spoliaret, fratrem germanum esse cognovit. Accidit enim ut in diversas partes nonnunquam fratres distracti essent. Is autem multum ac diu convicio deos ob impiae victoriae donum insecutus, cadaver prope castra translatum et pretiosa veste opertum rogo imposuit. Ac deinde, subiecta face, protinus eodem gladio, quo illum interemerat, pectus suum transverberavit: seque super corpus fratris prostratum communibus flammis cremandum tradidit.

69. The Device of Eumenes.

Antigonus, dux rei militaris peritus, se Eumenem hostem imprudentem oppressurum esse sperabat; cum ex fumo castrorum eius allata est suspicio ad Eumenem hostem appropinquare. Conveniunt duces: quaeritur quid opus sit facto. Intelligebant omnes tam celeriter copias ipsorum contrahi non posse, quam Antigonus adfuturus videbatur. Hic omnibus titubantibus et de summis rebus desperantibus, Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere et imperata facere, quod ante non fecerint, se rem expediturum; nam se effecturum, ut non minus quinque dierum spatio hostis retardaretur: quare circumirent, suas quisque copias contraheret.

70.

Ad Antigoni autem impetum refrenandum tale cepit consilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qui obvii erant adversariorum itineri; hisque praecipit ut prima nocte, quam latissime possint, ignes faciant quam maximos, atque hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant; et, assimulata castrorum consuetudine, suspicionem iniciant hostibus, his locis esse castra ac de eorum adventu praenuntiatum; idemque postera nocte faciant. Quibus imperatum erat, diligenter praeceptum curant. Antigonus tenebris obortis ignes conspicatur: credit de suo adventu esse auditum et adversarios illuc suas contraxisse copias. Hic igitur dolo victus mutat consilium.

71. Hannibal's Craft.

Accidit ut Hannibal Cretam ad Gortynios veniret, ut ibi, quo se conferret, consideraret. Vidit autem vir omnium callidissimus magno se fore periculo, nisi quid providisset propter avaritiam Cretensium: magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exiisse famam. Itaque tale consilium capit: amphoras complures complet plumbo: summas operit auro et argento. Has, praesentibus principibus, deponit in templo Dianae: simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem inductis, statuas aeneas, quas secum portabat, omnes sua pecunia complet easque in propatulo domi abicit. Gortynii templum magna cura custodiunt non tam a ceteris quam ab Hannibale, ne ille pecuniam secreto auferret secumque duceret.

72. A Lion's Device.

Ursam tradunt in Pangaeo monte leonis latebras custode vacuas invasisse eiusdemque catulos, quia adhuc parvuli erant nec se tueri poterant, interemisse. Quum autem leo et leaena alicunde ex venatu revertissent et caedem catulorum factam vidissent, acerrimo, ut par erat, dolore affecti ursam insequebantur; haec vero metu perculsa, quantum pedibus poterat, in arborem conscendit ibique eorum insidias evitare conata consedit. Quum autem illi viderent se eam ulcisci non posse, leaena quidem custodiam non intermisit, sed insidias ursae moliens ad arboris truncum morata est: leo vero quasi inops consilii et moerore perturbatus instar hominis angebatur.

73.

Tandem in montibus diu vagatus hominem arbores secantem offendit; cui, quum timore perculso securis e manu decidit, leo faciem blande lingua permulsit. Quamobrem homini paulatim fiduciam habenti non permisit ut securim relinqueret, sed ut eam tolleret pede suo indicabat: at, cum hoc indicium homo non intelligeret, leo securim in ore exceptam illi porrexit, ipsumque in latebras perduxit. E quibus cum agricola leones ab ursa iniuria affectos esse intellexisset, quanta vi poterat, arborem exscindebat: qua eversa ursam in terram praecipitem dilaniaverunt leones.

74. Thales' Revenge.

Mulus sale onustus fluvium transmittebatur; forte evenit ut lapsus sarcinas demergeret et salem aqua per-

fusum liquefaceret. Mulus, magna laetitia ex eo quod iam ab onere solutus esset accepta, quum quantum inter laborem et otium interesset cognovisset, in reliquum tempus idem, quod semel invitus fecerat, ex industria iterare constituit. Hoc igitur quum Thales intellexisset, per sapientiam illius malitiam ulciscendam arbitratus, spongiis et lana pro sale onerari mulum iussit. Mulus insidiarum sibi instructarum ignarus e consueto more cecidit: sed, quum aqua repletum onus gravius esse sensisset, ex eo tempore nunquam delapsus salem integrum trans flumen transportabat.

75. The Value of a Scolding Wife.

Varro in satira, quam de maritorum officio scripsit, dixit vitia uxoris aut tollenda aut ferenda esse: virum tollendo vitia uxorem commodiorem praestare, ferendo sese meliorem facere. De quibus haud dissidet Socrates philosophus, cuius Xantippe adeo morosa et maligna fuisse traditur, ut per diem perque noctem viro se molestissimam praeberet. Cuius intemperiem Alcibiades discipulus miratus, Socratem interrogavit, quaenam ratio esset, cur mulierem tam acerbam domo non exigeret. "Insuesco enim," inquit Socrates, "dum illam domi talem patior, externorum quoque foris petulantiam et iniuriam facilius ferre."

76. Whom did Alexander meet first?

Cum Alexander Macedonum rex, sorte divina monitus, ut eum, qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici iuberet, asinarium forte ante omnes obviam factum vidisset, ut ad mortem abriperetur imperavit. Sciscitatus quidnam immeritus capitali supplicio addiceretur, cum ad factum

suum excusandum oraculi praeceptum rex retulisset, asinarius "Si ita est," inquit, "rex, alium sors morti destinavit: namque asellus, quem ego ante agebam, prior tibi occurrit." Delectatus Alexander et illius tam callido dicto et quod ab errore revocatus erat, occasionem expiandae religionis in aliquanto viliore animali rapuit, atque asinario libenter pepercit.

77. The Philosopher.

Ingenium omnium et cogitata cum rebus externis miram coniunctionem interdum habere solent. Philosophus enim, qui ad hominum mentes et cogitationes explorandas omnem curam conferebat, in horto quotidie ambulabat, et, cum advesperasceret, nescio quid meditatus oculos in summum templi cuiusdam propinqui fastigium defigebat, ut mentem quoque ea contentione in proposito detineret. A quo, ut mos erat, meditante fastigium templi conspici non potuit, quod arbores iam paulatim grandiores factae prospectum interruperunt. Quamobrem philosophus graviter commotus amicum, cuius erant arbores interiectae, oravit ut illorum capita decuteret. Quo facto ad solitum meditandi morem libenter se contulit.

78. Cyrus and the Ionians.

Iones per legatos a Cyro invitati, ut a Croeso Lydorum rege desciscerent, non paruerunt: confectis autem rebus et Croeso a Cyro devicto, ut iisdem legibus, quibus antea, uterentur, a Cyro petebant. Quibus rogantibus hanc fabulam Cyrus ira commotus proposuit. Fuit olim tibicen, qui, pisces conspectos in mari in terram ad sonitum egressuros esse ratus, tibia canebat. Tum, ubi spe depulsum se vidit,

retibus usus ingentem piscium numerum inclusum extraxit. Quos ubi vidit palpitantes, "Desinite" inquit "nunc saltare, quum me tibia canente egredi et saltare nolueritis." Quae quum audiissent legati et se piscibus in terra palpantibus a Cyro comparari intellexissent, domum re infecta redierunt.

79. The Prisoner Foiled.

Servilius, in carcere inter Ambianos detentus, tantum aufugiendi studium concepit, ut consilium caperet, quo in feretro impositus sub specie cadaveris per custodes ferretur. At dux, qui castello praeerat, de illo consilio certior factus constituit ei obstare, quominus per illum modum aufugeret. Itaque quum forte Servilio obviam esset, rogavit "Audivistine quot cives ab inimicis veneno sint absumpti?" Negavit se audiisse Servilius. "At ego," inquit dux, "idcirco medicos iussi omnia cadavera in castello mortuorum aperire, ut manifestum sit utrum veneno an per aliam causam sint mortui." Quae quum Servilius intellexisset, maluit in carcere permanere, quam pro mortuo cadavere medicis, ut concideretur, se concedere.

80. Early History of Mankind.

De prima hominum origine multa et diversa a Graecis auctoribus referuntur. Sunt qui narrent Vulcanum iussu Iovis Pandoram formasse, deinde e magno diluvio neminem nisi Deucalionem Pyrrhamque esse superstitem. Haec atque alia huiuscemodi declarant poetae, qui de antiquis temporibus canunt: apud quos non elegantior exstitit fabula quam ea quae materiem, e qua comparata sunt hominum corpora, demonstrat. Lutum, ut haec fama est, e quo con-

formata erant cetera animalia, aqua pluviali madefactum erat: at ad homines comparandos, ut taedium vitae infinitumque dolorem passuros, lacrimae cum materie lutea sunt commixtae. A quo initio hominum vita posterorum haudquaquam discrepat.

81. Which is the Oldest Nation?

Ferunt Psammetichum regem Aegyptiorum, quum quinam essent primi et antiquissimi homines reperire vellet, talia machinatum esse. Duos pueros nuper natos pastori tradidit, qui eos inter greges hoc modo aleret: praecipit, ut nemo coram illis ullam vocem ederet, ad quos iustis temporibus caprae adducerentur. Haec praecepit Psammetichus, ut cognosceret, quam vocem post obscuros infantium vagitus primam essent edituri. Postquam autem duos annos mandatis obsecutus erat pastor, aperienti ianuam atque intranti ambo pueruli allabentes et manus porrigentes "becos" clamabant. Quod ubi ipse Psammetichus cognoverat, et sciscitando compererat apud Phrygas eo vocabulo panem significari, Phrygibus concessit eos esse Aegyptiis antiquiores.

82. A Schoolmaster's Trick.

E plurimis pueris quis furtum commisisset, incertum erat. Nam, quum nescio quid cupediarum esset consumptum, erat omnibus manifestum unum alterumve delicto obnoxium esse. At, ne innocentes cum nocentibus in uno crimine coniungeret, ludi magister hoc comparavit. Dixit opus esse omnes per atrium caligine offusum deductos gallum manu mulcere: deinde eo, qui id facinus admisisset, mulcente, gallum statim cantaturum esse. Qua re simulata,

ipse iussit galli pennas atro circumfundi pulvere, ut puerorum manus sordidae fierent. His comparatis pueri per atrium deducti, pro se quisque magistri iussu galli pennas mulsit, veritus ne forte id temporis gallus cantaret.

83.

Sed quum omnes per atrium ambulasse visi essent, neque ullo mulcente cantum edere gallus voluisset, pueri, ut solent, rati aut cunctos esse innocentes aut id consilium irritum fuisse, magistro taciti irridebant. At ille, neque enim iracundus fuit neque insulsus, in alium locum coactis imperavit ut manus suas quisque aspiceret. Quo facto iis, quorum manus atro pulvere sordidae erant, absolutis, unus, qui manus candidas ostendit, furti incusatus, et confessus se facinoris admissi conscium et veritum, ne gallus cantando ipsum reum declararet, in illud atrium non ivisse, poenas meritas persolvit.

84. The Elephant's Revenge.

Elephantum iure haberi inter Indos animal sagacissimum, hoc documentum memoriae traditum est. Mane praeter tabernam sutrinam deducto elephanto malum quotidie aliudve pomum sutor ipse dare solebat. Sed accidit ut sutor, forte propter iniuriam nuper acceptam iratus, elephanti proboscidi praetereuntis adeo non, ut solebat, pomum praeberet, ut subulam acutam offerret. Quo facto elephas magno dolore affectus, quum ad paludem pervenisset atque aqua turbida proboscidem complevisset, ad tabernam reversus supra sutoris caput aquam coenumque profusum demisit; scilicet ut demonstraret se, iniuriae haud immemorem, sutorem inhumanum ulcisci velle.

85. Androclus and the Lion.

In circo maximo amplissimae venationis apparatus populo Romano dabatur. Multae ibi apparebant ferae, magnitudine excellenti et ferocia inusitata: sed praeter alia omnia unus leo corporis impetu et fremitu terribili, toris comisque cervicum fluctuantibus, animos oculosque spectantium in se converterat. Ad pugnam bestiarum viri consularis servus, cui nomen Androclus fuit, inter complures ceteros introductus erat: hunc ubi ille leo procul vidit, repente quasi admiratus stetit, ac deinde sensim atque placide ad hominem tanquam agnitum accessit: tum caudam more adulantium canum clementer et blande movet; deinde crura et manus prope iam metu exanimati leniter demulcet. Androclus autem inter illa tam atrocis ferae blandimenta amissum animum receperat; paulatim oculos ad contuendum leonem refert.

86.

Tandem, postquam homo vitam priorem recordatus leonem laetus agnoverat, inter maximos populi clamores ad id excitatos, a Caesare arcessitus Androclus interrogatusque causam, cur ille leonum atrocissimus uni pepercisset, hanc rem mirificam narrasse fertur. "Quum provinciam Africam proconsulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniquis eius et quotidianis verberibus ad fugam coactus, ut mihi a domino, terrae illius praeside, tutiores latebrae forent, in camporum et arenarum solitudines concessi: ac si defuisset cibus, consilium fuisset mortem aliquo pacto quaerere. Tum sole medio specum quandam nactus, in eam me recondo."

87.

Neque multo post ad eandem specum venit hic leo claudus uno et cruento pede, atque illic primo quidem conspectu advenientis territum animum habeo. Sed postquam ingressus leo, ut re ipsa apparuit, in suum latibulum me procul delitescentem vidit, mitis et mansuetus accessit ac sublatum pedem ostendere et porrigere quasi opis petendae gratia visus est. Ibi ego spinam ingentem, quae pedi inhaerebat, revelli, conceptamque saniem vulnere intimo expressi, accuratiusque sine magna iam formidine cruorem penitus siccavi atque detersi. Ille tunc mea opera levatus pede in manibus meis posito recubuit et quievit: e quo die triennium totum ego et leo in eadem specu eodemque victu viximus. Namque earum, quas venabatur feras, membra sole meridiano tosta edebam.

88.

Sed, ubi me vitae illius ferinae iam pertaesum est, leone in venatum profecto, specum reliqui: et viam ferme tridui permensus, a militibus visus apprehensusque sum, atque ad dominum ex Africa Romam sum deductus. Qui statim me rei capitalis damnandum dandumque bestiis curavit. Hunc quoque leonem a me tunc separatum atque ab hominibus captum nunc etiam pro beneficiis gratiam mihi referre intelligo." Quibus dictis, Androclus dimissus cunctis petentibus poena solvitur et leone populi suffragiis donatur. Postea ferunt Androclum et leonem loro tenui revinctum urbe tota circum tabernas ire; donari aere Androclum, floribus spargi leonem: omnes fere ubique obvios dicere 'hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis.'

89. Mycerinus proves the Oracle False.

Mycerino regi ex oppido Buto est allatum oraculum sex tantum annos eum victurum esse, septimo autem vitam finiturum. Tum Mycerinus, qui hoc aegrius ferebat, dixisse traditur, se, qui deos coluerit, indigna et iniusta pati. Alterum igitur responsum editur eum certe moriturum esse. Quibus auditis, quum sententiam Deorum iam contra se dictam cognovisset, multas parari iussit lucernas, iisque quotidie ingruente nocte accensis potabat voluptatibusque nec die nec nocte ulla intermissis indulgebat. Per loca Aegypti amoena et nemorosa vagatus, hoc consilio utebatur, ut oraculum mendacii argueret; quippe qui, noctibus in dies conversis, non sex tantum annos sed duodecim victurus esset.

90. Example is Better than Precept.

Non dubium est quin Spartiatae fortitudinis et patientiae exempla mira omnibus praebuerint. Neque tamen a ceteris Graecis amabantur, quod saepius se fastidio et superbia plenos praestare solebant: neque placebant Helotibus (quorum origo de incolis primo devictis deducta esse dicitur) quippe qui multa et gravia perpessi sint. Quos si ephori corpore et numero valentes viderant, eos secretis usi modis interficiebant: sin autem, quam ridiculus esset is qui ebrius est factus, pueris Spartiatis exhibere pater volebat, Heloti tantum vini offerre solitus est, ut mox ebrius in ludibrium incideret. Cui turpiter et indecenter se gerenti puerum obviam latum pater monebat: "Noli, mi fili, ebrius fieri: si enim haec feceris, te in ludibrium inter sodales adduces."

91. Syloson's Red Cloak.

Syloson, ut Aegyptiorum regiones et mores exploraret, e patria Samo eiectus, Memphide pallio indutus coccino in foro forte ambulabat: quem ubi conspexit Darius, qui in Cambysis exercitu tunc stipendia merebat, adipiscendi pallium cupidus Sylosontem adiit ut mercaturus. Quem quum videret Syloson vehementer cupidum, casu secundo ait "Equidem hoc pallium nullo pretio vendere volo: at tibi id gratis do." Quo responso delectatus, pallium Darius libenter accipit: Syloson autem se propter nimiam animi benevolentiam pallium perdidisse existimat. Haud multo interiecto tempore Darius, Cambyse mortuo, regno Persico potitus est. Syloson igitur, quum Susa ascendisset, in aedium regiarum vestibulo sedebat et praedicabat se de Dario bene meritum esse.

92.

Quod ubi audiverat unus e satellitibus et regi nuntiaverat, Darius secum colloquebatur: "Quis tandem Graecus est qui bene de me meritus sit? Fac ut intro deducatur, ut sciam quid ille velit." Sylosontem a ianitore introductum atque in medio stantem interpretes interrogant, quis sit, quove facto bene de rege meritum esse dicat. Cui, tota re exposita, respondit rex "Tu ergo ille es, qui mihi nullam potestatem habenti donum dedisti. Pro quo ingens auri argentique pondus tibi reddo, ne te unquam poeniteat beneficii in Darium collati. "Noli," inquit Syloson, "me auro et argento donare: patria enim mea Samos a tyranno est occupata: hanc, quaeso, mihi da a caedibus et servitute liberatam." Quae petita non recusat Darius: sed exercitum ad Samum liberandam statim mittit.

93. An Artful Impostor.

Astrologus mendax idemque impudens amicum, quem Ludovicus rex Gallorum praecipue diligebat, mox moriturum esse palam praedicabat. Haud multo post accidit ut ille amicus morbo sit consumptus: quod quum audiisset rex, sine mora servis imperavit ut astrologum arcesserent. Quum is apud regem praesto esset, "quando tu," inquit Ludovicus, "qui te res venturas praedicere posse simulas, diem supremum obibis?" Astrologus autem, quum, quo in periculo esset, intelligeret neque tamen vocem neque animum demitteret, respondit, "Tertio ante die quam ipse moriere." Quo responso perterritus rex servos iussit summam curam facere, ne astrologo palatium incolenti victus neu cetera commoda deessent.

94. The Missing Link.

Inter Athenienses Democritus quidam pusillo erat corpore et deformato, maximas tamen divitias consecutus erat. Hic autem, quum imaginem suam pingendam curavisset, et picturam iam confectam attulisset pictor, avaram mentem exhibuit. Cui minorem quam quae constituta erat pecuniam praebuit, idque aegre ferenti respondit, "Ni hanc pecuniam acceperis, ista pictura nullum tibi commodum consequetur." "At tu erras; hanc enim maioris pretii, si tu reieceris, facile vendam." "Dic mihi, quemadmodum id facturus sis: iste enim vultus mihi neque ulli alii consimilis est." "Haec sunt vera: sin autem caudam corpori adiecero, simiae imago non hominis omnibus videbitur." Quae quum audiisset Democritus, pretium constitutum extemplo persolvit.

95. Rhampsinitus' Treasure-House

Rhampsinitus rex tantas opes tantamque argenti vim habuit, ut nemo inter posteros divitiis ei exaequari posset. Quae ut in tuto reponeret, conclave e lapidibus aedificandum curavit: cuius aedificii quum unus paries extrorsum spectaret, structor, cui opus mandatum erat, hoc machinatus est; e lapidibus unum ita parare, ut e pariete a duobus vel etiam ab uno homine facile eximi posset. Qui, interiecto tempore, quum prope vitae finem esset, duobus filiis ad se advocatis exposuit, quo pacto lapide illo extracto regiis opibus frui possent. Cui iam vita functo obsecuti, lapide noctu extracto, multum pecuniae identidem extulerunt. Rex autem, quum forte conclave aperuisset et pecuniam diminutam videret, miratus haerebat, quum signa ianuae impressa integra manerent.

96.

Laqueos ergo confici et circa vasa, in quibus inerat pecunia, collocari iussit. Deinde, ut antea, ventitant fures: quorum unus quum irrepsisset et ad vasa accessisset, laqueo capitur. Idem fratri imperavit ut statim irreperet sibique caput abscideret, ne ille etiam secum esset male periturus. Alter autem, probato fratris consilio, caput abscisum abstulit et lapide reposito domum abiit. Ubi illuxit, rex obstupefactus, cadavere muro urbis suspenso, custodibus imperavit ut, si quem deplorantem vidissent, prehensum ad se adducerent. Interea tam graviter ferebat furis mater filii alterius cadaver indigna pati, ut filio superstiti imperaret ut cadaver fratris recuperatum domum afferret; quod si perficere nollet, regem se adituram atque eum, ut illius pecuniae spoliatorem, delaturam minabatur.

97.

Asinos igitur utribus vino plenis instructos per viam publicam agitabat; quum prope locum, ubi erant custodes cadaveris, venisset, utres clam solvit et vino effluente ingentem edidit clamorem: custodes autem, quum vinum effusum viderent et avide colligerent, dum vehementer se iratum simulat, maledictis lacerabat. Deinde, quum unus e custodibus facete esset cavillatus, donum iis unum ex utribus dedit: custodes autem quum id libenter accepissent atque eum manu prehensum ut secum maneret impetrassent, potandi causa discumbebant: tandem tanta usi sunt potione, ut vino mersi somnoque oppressi eodem loco, ubi potaverant, obdormiverint. Tum demum nocte iam multum progressa, custodum dextras genas in contumeliam rasit et cadaver fratris solutum asinisque impositum domum incolumis retulit.

98. The Intelligent Ass.

Thebanus quidam, qui Athenas nuper venerat, ad cenam ab hospite invitatus asinum conducendum curaverat, ut propositum iter satis maturaret. Asinus autem, quem, ut sibi auxilio esset, comparavit, inimicos et malignos mores mox exhibebat: namque Thebanum artis equitandi minime peritum excutere conatus, saepe constitit. Hoc modo in via progressus maximos spectantium risus Thebanus movebat: inter quos ut eum vidit qui asinum elocaverat, vehementi ira incensus magna voce clamavit, "Heus tu, scelus, nonne vides quanta sit istius asini malignitas?" Cui respondit ille "At tu nostrorum asinorum mores non intelligis; hic enim, quum te peregrinum esse cognosset, saepe constitit, ut templa aliaque aedificia perscrutari posses."

99. A Valuable Crow.

Augusto post Actiacam victoriam Romam reverso inter gratulantes occurrit opifex quidam cum corvo, quem instituerat ad hoc dicendum, "Ave, Caesar, victor Imperator." Quam avem officiosam miratus Caesar viginti millibus nummorum emit: neque picam neque psittacum eadem locutos emere noluit. Haec autem sutorem quendam pauperem excitavere, ut alium corvum ad parem salutationem institueret: qui impendiis exhaustus, quotiens avem non respondentem obiurgabat, dicebat "opera et impensa periit." Quum iam corvus salutationem dictatam dicere coepisset et Augustus respondisset "Satis domi salutatorum talium habeo," adeo subvenit corvo memoria, ut et illa, quae dominum querentem audire solebat, subtexeret, "opera et impensa periit." Tum Caesar arrisit, avemque tanti emit quanti nullam adhuc emerat.

100. The Servant and the Fish.

Celer homo dicax et lepidus omnes in cavillando longe superare existimabatur: accidit autem ut etiam Celer a servo quodam homine non insulso devinceretur. Hic enim servus, quamvis ingenium acre haberet, illud dissimulare solebat: itaque piscibus, quos identidem dominus ad Celerem mittebat, ad incultum et agrestem morem deiectis in mensam, statim domum abiit. Quae quum ita fuerint, Celer iratus semel ostendere voluit, quemadmodum piscis, quem dominus illius misisset, in mensam esset deponendus. Idcirco exemplum praestare constituit, quo usus servus piscem in postremum decenter offerret. Itaque servum, pisce ut mos erat deiecto, domum digressurum Celer monuit, ut ea, quae ipse docere vellet, disceret.

101.

Ad hoc perficiendum Celer servi partes acturus calathum, in quo erat piscis, sustulit: servus autem in loco Celeris in triclinio reclinabat. "Salve," inquit Celer: "Di tibi sint fausti: imperabat mihi dominus ut hunc piscem tibi apportarem et te bene valere iuberem." Haec locutus piscem in mensam sollicitus deposuit: servus autem vafro consilio adhibito hoc quoque Celerem docere constituit. "Heus tu," respondit: "fac ut gratias maximas tuo domino pro me agas et ipse hanc mercedem accipias." Celeri enim quinquaginta nummos dat. Itaque cum Celer servum, quomodo decenter piscem offerre posset, docebat, tum invicem servus, quomodo Celer se munificum posset praestare, demonstrabat.

102. Scythian Presents.

Persae, qui sub duce Dario fines Scytharum invaserant, magna incommoda passi tandem redire volebant; at, quo diutius in Scythia manerent et penuria rerum omnium premerentur, pecoribus nonnullis cum pastoribus relictis, Scythae in alium locum paulatim se recipiebant. Persae quidem, quoties impetum facerent, pecoribus captis exsultabant. Quum autem id saepius fieret, ad extremum Darius, quid consilii caperet, incertus haerebat. Quod ubi Scytharum reges animadverterant, praeconem ad eum miserunt, qui dona avem et murem et ranam et quinque sagittas ferret. Haec adferentem dona interrogaverunt Persae, quid esset mittentium consilium. Ille respondit nihil aliud sibi mandatum fuisse nisi ut, illis datis, quam primum abiret.

103.

Deinde, dum inter se colloquuntur Persae, abiturus nuntius monuit ipsos, si sapientes essent, quidnam ista dona significarent, facile cognituros. Darii autem regis sententia erat Scythas sese et terram et aquam ipsi tradere: id inde colligebat, quod mus in terra viveret, rana vero aquam habitaret, avis autem similis esset equo, denique tela quasi dediti imperii signum esset. Cui opposita erat sententia Gobryae, militis inter primos egregii, qui diverso usus consilio ad hunc modum rem explicare voluit. "Nisi aves facti, O Persae, in caelum evolaveritis, aut in mures conversi terram subieritis, aut ut ranae in paludem insilueritis, salvi hinc non revertemini, sed sagittis confixi moriemini." Ita accidit ut Gobryae verba ab iis, quae postea evenerunt, haud discreparent.

104. A Bet.

Discipulus quum Xanthum philosophum ebrium et temulentum esse videret, "O praeceptor," inquit, "num quis mare ebibere potest?" "Immo vero," respondit Xanthus, "ego enim hoc ipse ebibere possum: at si non potuero, totam meam domum tibi tradam." Itaque depositis anulis, ut pactum confirmarent, discesserunt. Postridie Xantho interroganti, ubi esset annulus, respondit servus Aesopus eum heri ebrium mare ebibere posse gloriatum esse, et in pacto annulum eius deposuisse. "At te nunc oro, ut praesto sis et opem porrigas, ut aut vincam aut pacta dissolvam." "Vincere quidem haud tibi licet, sed, ut pacta solvas, ipse efficiam. Cum hodie rursus in unum convenerint amici, ne tuo proposito destiteris, neve ea, quae facere volebas ebrius, te sobrium facere nolle dixeris."

105.

Igitur iussit lectos et mensam in litore poni et pueros ad aquam marinam porrigendam cum poculis paratos. Cum autem Xanthus omnem turbam ad spectaculum concurrisse vidisset, ipse discumbens e mari poculum impleri iussit: quo accepto, omnibus audientibus rogavit "Quaenam foedera apud vos inivi?" Ei respondit unus ex amicis, "Tu mare ebibere posse gloriatus es." Quibus dictis Xanthus ad populum conversus, "Viri Samii," inquit, "vos scitis, quot et quanti fluvii in mare perrumpant: ego autem fore ut mare solum ebiberem pollicitus sum. Hic igitur prius flumina omnia coerceat, deinde statim mare solum ebibam." Quum haec Xanthus dixisset, amicus victum se confessus, eum obsecravit ut pacta dissolveret.

106. Polycrates and His Ring.

Polycratis, tyranni Samii, ita res auctae sunt, ut per universam Graeciam gloriam maximam consequeretur. At Amasin regem amicum non latebat, quam secundae res Polycratis essent; qui veritus, ne ei ingenti uso felicitate adversam fortunam Di invidi inferrent, eum admonuit ut, quodcunque ei maximi esset pretii, id abiceret; quo facto Deorum invidos animos placaturus esset. Is igitur, postquam anulum e smaragdo lapide auro devinctum delegerat et navem ipse conscenderat, nautas in altum navigare iussit: quum procul ab insula abessent, annulum de manu detractum cunctis conspicientibus in mare proiecit. Piscator autem, quum ingentem pulchrumque piscem cepisset, Polycrati eum voluit dono dare: itaque in regia illo oblato ait se velle in Polycratis conspectum venire.

107.

Tandem pisce deposito dixit: "Hunc piscem, o rex, postquam ego ceperam, non iudicavi in forum rerum venalium esse ferendum; sed quamvis sim homo pauper et manu mea victum quaeram, te tuoque imperio haud indignum eum affero. His verbis delectatus Polycrates in hunc modum respondit: "Recte fecisti; duplicem tibi orationis et doni causa gratiam reddo: te igitur ad cenam invitamus." Piscator domum abiit laetus: famuli vero dum piscem concidunt, in ventre repositum anulum Polycratis reperiunt. Quem ut viderunt, protinus correptum, animis gaudio perfusis, ad Polycratem deferunt, nuntiantque quo pacto sit repertus. Tum rex, cuius in mentem venit rem esse divinam, ne male vitam esset finiturus, verebatur. Quod quidem postea accidit.

108. Blowing Hot and Cold.

Homo quidam cum Satyro amicitiam habuit. Apud quem quum edendi causa homo sederet, exorta coeli tempestate, manus ad os admotas anhelitu refovere conabatur. At Satyro id intuenti et roganti, quamobrem faceret, respondit id facere, ut manus frigidas calefaceret. Deinde ubi, exstructo foco, apposita mensa, in fervidam pultem inflabat, magis etiam admiratus Satyrus sciscitatus est quid vellet. "Ut pultem," inquit ille, "nimium ferventem halitu refrigerem." Tunc Satyrus, dum a mensa surgit, "Quid audio?" inquit, "Tune eodem ex ore pariter et calidum et frigidum halitum emittere potes? Vale: neque enim tecum posthac amicitiam exercebo."

109. Two Sides to Every Question.

Leo et homo dum in eadem via simul progrediuntur, et vario sermone inter se utuntur, columnam vident, in qua erat incisus leo ab homine suffocatus. Hanc ubi homo leoni ostendit, "Hic videre," inquit, "licet, quanto leonibus ferisque omnibus sit homo praestantior et valentior." "Quis autem," rogavit leo, "ea, quae homo gessit, in hac columna incidit?" Subridet ille et respondet scilicet hominem opus perfecisse. At leo: "Sin autem inter leones essent, sicut inter homines, ii qui marmor possent sculpere, plures a leonibus homines quam ab hominibus leones suffocatos sculpi videres." Quo responso homo subito commotus, veritus ne ipse exemplo esset, cum leone colloquium diremit, et domum quam celerrime aufugit.

110. Alcmaeon and the Gold.

Croesus rex Lydorum, beneficiis ab Alcmaeone Atheniensi acceptis, eum ad se Sardes invitavit: eundemque tanto auri pondere, quantum suo corpore asportare semel posset, se donaturum esse promisit. Tunc Alcmaeon ad hoc donum accipiendum in hunc modum paratus accessit: grandi ornatus tunica, in qua amplior erat sinus, et cothurnis, quos maximos repererat, indutus in thesaurum deductus est. Ibi quum in aurea ramenta incidisset, primum circa crura, quantum auri cothurni capere poterant, infersit, deinde toto sinu repleto et coma ramentis conspersa, denique aliis in os sumptis, thesauro egressus est, cuivis alii quam homini consimilis. Cuius os auro obseratum et omnia turgida Croesus conspicatus non risum continuit: nec modo ea, quae ferebat, sed alia etiam haud minora adiecit.

111. Whose is the Shadow?

Mercator, quum per deserta Libyca progredi vellet, asinum conducendum curavit: quocum Aegyptius, cuius erat asinus, iter pedibus faciebat. Quibus compositis, quum in asinum ascendisset, cum Aegyptio ex urbe egressus loca deserta et arida petebat. At ubi sole fervente adeo sunt calefacti, ut vix super siccam arenam progredi possent, mercator asini tergo impositus laborabat, Aegyptius autem ad fervorem vitandum, et sessoris et asini umbra protectus, ambulabat. Quum autem hoc mercator vidisset, descendit et de asini umbra cum Aegyptio strenue contendit. Hic enim asinum ipsum, neque umbram se locasse asseveravit: ille autem se cum asino umbram conduxisse. At dum rixantur, asinus aufugit; quo facto neuter umbra potitur.

112. Persian Justice.

Xerxes, in proelio apud Salamina commisso devictus, in Asiam mare transmittebat. Tum, quum magis fureret tempestas et nimis onerata esset navis, magno Persarum numero invecto, rex timore perculsus e gubernatore quaesivit, ecqua salutis esset spes. Cui gubernator respondit non aliam esse spem, nisi de numero multorum hominum in nave vectorum pars amoveretur. "Viri Persae," inquit Xerxes, "ecquis regem esse sibi curae ostendere vult? namque in vobis mea salus posita esse videtur." Quibus auditis, illi, quum regem adorassent, in mare prosiluere e nave, quae, hoc modo levata, salva in Asiam pervenit. Xerxes vero simul atque in terram erat expositus, aurea corona gubernatorem donavit, quod regis ipsius vitam conservasset, deinde, quod magnum Persarum numerum perdidisset, caput ei praecidi iussit.

113. Story of an Early Saint.

Spyridio sacerdos ob priscam severitatem moresque integros multos inter homines praeclarus, Cypro relicta, per Asiam quam celerrime se contulit, ut conventu apud Nicaeam ab imperatore constituto mature adesset. Alii autem sacerdotes, qui tam insipientes erant, ut mirae sanctitatis illius immemores habitum incultum contemnerent, in eodem itinere progrediebantur. Itaque, dum aperte cum Spyridione libenter colloqui videntur, quomodo eum in itinere detinere possent, secreto consilium parabant. Namque, dum eadem taberna et Spyridio et alii sacerdotes pernoctant, hi media nocte experrecti, cibo arrepto, foras se emittere incipiebant, et Spyridioni, quominus sequeretur, obstare conabantur.

114.

E quibus unus, qui socios retinuerat, rogavit, quamobrem tanta celeritate domum relinquerent: respondebant omnes se id facere, ut sine Spyridione homine inculto et immundo reliquam itineris partem perficerent. Quibus autem persuadebat, ut, priusquam e taberna exirent, subtili consilio uterentur. "Abscisis mulorum eius," inquit, "capitibus, non modo ipsi Nicaeam securi vos conferetis, sed Spyridionem, ne sequatur, impedire poteritis. Hoc consilio libenter accepto, quum mulorum alterius candidi, alterius spadicis capita decidissent, maxima celeritate aufugerunt. Spyridio autem prima luce experrectus servos ad mulos inveniendos statim demisit, qui, cum sine mora rediissent, primo stupefacti tacebant.

115.

Dominus autem "Nonne mulos," inquit, "in stabulo paratos invenistis?" "Immo vero," responderunt, "sed homines scelesti et improbi capita iis detraxerunt." Ille autem neque hilarem deposuit vultum, neque irato utebatur animo; sed servis, ut mulos adducerent, imperavit. Quibus quum in tabernam adductis mira quadam arte capita adhuc decisa reposuisset, in Asiam statim contendit. Quo facto, additum est etiam detrectantibus maximum argumentum, sacerdotem illum re vera hoc tam difficile miraculum perfecisse: namque, quia sub incerta luce colores nullo modo distinguere potuerat, capita invicem mutata candido spadix, spadici candidum forte reposuit.

116. The Fate of Lampsacus.

Ad vafrum consilium Anaximenis, qui in omni dicendi ratione clarissimus erat, urbis Lampsaci salus est referenda. Nam cum ad excidium urbis summo studio Alexander ferretur, progressumque extra moenia Anaximenem praeceptorem suum vidisset, quia manifestum erat futurum ut preces suas irae eius opponeret et ad dissuadendum ore eloquenti usurus esset, id se non facturum, quod petiturus esset, rex iuravit. Tunc Anaximenes tam acrem exhibuit sagacitatem, ut Alexandri etiam ingenium vinceret: extemplo enim respondit: "Peto ut Lampsacum diruas." His dictis rex obstrictus iureiurando et Anaximenis voluntati obsecutus, urbem vetusta nobilitate inclitam exitio, cui destinata erat, subtraxit.

[illegible]

[illegible]

III. A Difficult Case

Protagoras sophista acerrimus cum Euathlo discipulo amicitiam gessit; super pacta mercede inter eos haec lis erat et controversia. Euathlus dives adulescens, eloquentiae discendae orandarumque causarum cupidus, in disciplinam Protagorae se dedit, seque daturum promisit grandem mercedem, quantam pecuniam Protagoras petisset: cuius dimidium tunc statim, priusquam disceret, dedit, pepigitque ut alterum dimidium daret, quo die causam apud iudices orasset et vicisset. Postea quum diu Protagorae auditor assectatorque fuisset et in studio facundiae abunde se promovisset, causas tamen non reciperet, tempusque iam longum praeteriret, reliquam mercedis partem solvere noluit.

119.

Protagoras autem, consilio quod tum astutum existimabat inito, ab Evathlo pactam mercedem petiit: lite cum Evathlo contestata, quum ad iudices ad causam diiudicandam utrique venissent, Protagoras sic exorsus est. "Disce," inquit, "o adolescens stultissime, sive contra te sive pro te iudices sententias dixerint, fore ut reddas id quod peto. Nam si contra te constitutum erit, mercedem mihi e iudicum sententia debebis, quia ego vicero: sin autem secundum te iudicatum erit, mercedem mihi ex nostro pacto debebis, quia tu viceris." Cui respondit Evathlus; "Huic tuae tam ancipiti captioni obviam ire possem, si verba non ipse facerem atque alio patrono uterer. Sed maiorem mihi voluptatem victoria afferet, si te non in causa modo sed in isto argumento quoque vicero.

120.

"Disce igitur tu quoque, o magister sapientissime, utrocunque modo sit constitutum, id, quod petis, te non consecuturum esse, sive contra me, sive pro me sit pronuntiatum. Nam si iudices pro causa mea senserint, nihil tibi e iudicum sententia debebo, quia ego vicero: sin autem contra me pronuntiaverint, nihil tibi e nostro pacto debebo, quod non vicero." Tum iudices hoc spinosum esse et inexplicabile, quod utrinque dictum esset, rati, ne sententia sua, utramcunque in partem esset dicta, ipsa sese rescinderet, re integra relicta, causam in longinquum tempus distulerunt. Itaque Evathlus argumentum, quo usus erat Protagoras, contra eum conversum ita retulit, ut discipulus magistrum devicerit.

121. An Infamous Horse.

Cn. Seium scribunt Romani auctores equum Argis natum habuisse, qui magnitudine inusitata, cervicibus arduis, colore phoeniceo, comanti iuba, omnibusque aliis equorum laudibus longe praestabat; at tali usus est fortuna, ut quisquis eum haberet cum omni domo, familia, fortunis, funditus deperiret. Itaque, quum Seius capitis damnatus miserando supplicio esset affectus, Dolabella in Syriam profectus istius equi fama adductus est, ut Argos deverteret et sestertiorum centum milibus eum emeret. At bello civili Dolabella in Syria obsesso atque interfecto, C. Cassius, qui Dolabellam obsederat, equum abduxit: idem, exercitu suo fuso, miseram mortem oppetiit. Hinc illud de hominibus calamitosis ortum dicique solitum, "ille Seianum equum habet."

122. The Singer and the Cricket.

Fidicen quidam, qui certamen canendi iniit, et voce et fidibus canere tanta arte incepit, ut non modo amicos circumstantes sed eos etiam, qui peritius de arte canendi disceptabant, delectare posset. At dum hac iucunda voluptate omnes fruuntur, subito una e septem fidibus, quibus lyra est comparata, interrumpitur, quam ita interruptam fidicen frustra tentat attingere. Huic aegre canenti cicada auxilium praestat, quae per artem singularem pro nervo iam deficiente suam vocem tam iuste praebet, ut nemo praeter ipsum fidicinem illius nervi proprium sonitum deesse intelligat. Tum demum ille victor, praemio accepto, domum rediit: nec tamen ingratus, sui imaginem de marmore faciendam, et cicadae tanquam adiutricis effigiem ad lyrae fides apponendam curavit.

123. Antigonus and his Horses.

Cum Antigonus in castello Phrygiae, quod Nora appellatur, circumsederetur et vereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi, callidum fuit eius inventum, quemadmodum stans iumentum calefieri exercerique posset, quo libentius et cibo uteretur, et a corporis motu non removeretur. Altius substringebat caput loro quam ut prioribus pedibus plane terram posset attingere. Deinde post verberibus cogebat exsultare et calces remittere: qui motus non minus sudorem excutiebat quam si in spatio decurreret. Quo factum est, quod omnibus mirabile visum est, ut iumenta aeque nitida ex castello educeret, cum complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset.

124. Roman Rule.

Refert Cicero L. Domitium praetorem in Sicilia, quum aper ingens ad eum allatus esset, admiratum requisivisse quis eum percussisset. Quum audisset pastorem fuisse, eum ad se vocari iussisse: illum cupide ad praetorem quasi ad laudem et ad praemium accurrisse: quaesivisse Domitium, quomodo tantam bestiam percussisset: illum respondisse, venabulo. Statim deinde iussu praetoris in crucem esse sublatum. De quo intellegendum esse maluisse Domitium crudelem in animadvertendo quam in praetermittendo dissolutum videri. Nobis autem hoc edictum, ne quis cum telo servus esset, quo Domitius utebatur, haud civile, supplicium, quo pastor est affectus, inhumanum videtur.

125. Justice and Mercy.

Zaleucus, si quis alius sapiens et ad rempublicam gerendam sagax, urbem Locrensium saluberrimis et utilissimis legibus munivit: quas ut confirmaret, aliis sceleribus alias poenas iuste assignavit. His compositis, quum filius eius crimine damnatus secundum ius ab ipso constitutum utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris poenam adolescentuli remitteret, aliquamdiu repugnavit. Tum demum precibus populi devictus, suo prius, deinde filii oculo effosso, usum videndi utrique reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit: quo facto cum civem iustum tum patrem misericordem se praestitit.

126. Fat Man in Londonderry.

Urbe quadam Hibernica diu obsessa, cives cuncti tanta fame afficiebantur, ut etiam canes, equos, alia animalia consumere cogerentur. Panis enim in paucis locis idemque mucidus inveniri poterat: et nocte et interdiu cives undique mortui ante oculos omnium iacebant: omnes intellexerunt, nisi auxilium sine mora adveniret, fore ut urbs, quam tanta virtute defendissent, ab hostibus caperetur. At inter homines fame confectos et macie corruptos unus pinguis propter corporis magnitudinem invidiam patiebatur: admirati enim illum tam pinguem esse multi paene devoraturi videbantur. Ille autem omnis facinoris praeter obesitatem innocens, ut esurientium et mortem minantium aspectum vitaret, domi perterritus manebat. Tum demum, urbe obsidione liberata, id quod ei maximo periculo fuerat, ludibrio solum postea fit.

127. Customs of the Maories.

Saevi mores et crudeles inter eos, qui nec iura divina nec humana cognoverunt, referuntur. At permulta, quae nobis absurda et plane ridicula videntur, nonnunquam e consilio neque insulso neque imprudenti sunt orta. Maorienses enim, qui partem orbis terrarum regioni nostrae oppositam colunt, cum moribus quibusdam bonis et honestis usi tum disciplinas artesque haud despiciendas prosecuti, multam laudem merentur. Sed, quamvis in aliis modis aliquantum humanitatis exhiberent, homines comedere quondam solebant. Neque id tamen faciebant ferocitate adducti neque ulciscendi cupidi: sed, quum perpauca, quae consumere possent, in illis insulis invenissent, ut carnem humanam praegustarent, sibi persuadebant. Eo accedebat ut, mirae opinioni obsecuti, se omnibus et corporis et animi virtutibus eius quem comederent potituros, se corrigere et emendare per illas epulas vellent.

128. Building of Athens.

Post Persas apud Salamina devictos Lacedaemonii, postquam audierunt muros Atheniensium instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His praesentibus desierunt Athenienses ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles et solus primo profectus est: reliqui legati ut tum exirent, cum altitudo muri satis magna videretur, praecepit: ut interim omnes servi atque liberi opus facerent neque ulli loco parcerent, sive sacer esset sive profanus. Themistocles autem ut Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit, et dedit operam ut quam longissimum tempus duceretur: causam enim interposuit, se collegas exspectare.

129.

Cum Lacedaemonii quererentur opus nihilominus fieri eumque in ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt secuti; a quibus cum audiisset non multum superesse munitionis, apud Ephoros Lacedaemoniorum accessit et contendit, falsa iis esse delata: quare aequum esse illos bonos nobilesque viros mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent; interea se obsidem retinerent. Gestus est ei mos: tresque legati summis functi honoribus Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles iussit proficisci eisque praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent quam ipse esset remissus. Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, apud Ephoros liberrime professus est Athenienses suo consilio muris urbem saepsisse.

130. Timoleon in Sicily.

Timoleon post res optime gestas Syracusis, quod reliquum vitae fuit, privatus vixit. Nullus honor huic defuit; neque postea res ulla Syracusis gesta est publice, de qua prius sit decretum quam Timoleontis sententia cognita. Nec tamen propter hanc rem ad superbiam est elatus. Is enim, cum quidam nomine Demaenetus in contione populi de rebus gestis eius detrahere coepisset, ac multa inveheretur in Timoleonta, dixit nunc demum se voti esse damnatum; namque hoc a Diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restitueret Syracusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere. Hic cum diem supremum obiisset, publice a Syracusanis in gymnasio, tota celebrante Sicilia, sepultus est.

131. An Eastern Preacher.

Inter Arabas olim erant sacerdotes qui in contionem populum advocare solerent; e quibus unus insolitum sermonem habuit. Utrum eos qui audiebant dolore afficere, an domum quam celerrime redire voluerit, incertum est. "Num scitis," inquit, "quae sim hodie dicturus?" Omnes negabant. "Idcirco," respondit ille, "nil mihi prodest tempus consumere, ut homines tam insulsos doceam. Postridie quum ad tribunal ascendisset, rogavit, utrum ii qui audiebant, quae esset dicturus, scirent necne. Se scire responderunt; dixit ille, nil igitur opus esse se illa narrare. Tertio tandem die sacerdoti idem interroganti responderunt, alios illa scire, alios ignorare. Quibus autem ad respondendum paratus "ii qui sciunt," inquit, "ignorantes faciant certiores."

132. The Artful Hannibal.

Ad Eumenem regem Romanis amicissimum interficiendum Hannibal talem iniit rationem. Classe paucis diebus erant decreturi. Superabatur Hannibal navium multitudine. Dolo igitur erat pugnandum, cum par non esset armis. Hic iussit quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi easque in vasa fictilia conici. Harum cum confecisset magnam multitudinem, die ipso, quo facturus erat navale proelium, classiarios convocat hisque praecepit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem; rex autem in qua nave veheretur, ut scirent, se facturum promittit; quem si aut cepissent, aut interfecissent, magno illis pollicetur praemio fore.

113. Story of an Early Saint.

Spyridio sacerdos ob priscam severitatem moresque integros multos inter homines praeclarus, Cypro relicta, per Asiam quam celerrime se contulit, ut conventu apud Nicaeam ab imperatore constituto mature adesset. Alii autem sacerdotes, qui tam insipientes erant, ut mirae sanctitatis illius immemores habitum incultum contemnerent, in eodem itinere progrediebantur. Itaque, dum aperte cum Spyridione libenter colloqui videntur, quomodo eum in itinere detinere possent, secreto consilium parabant. Namque, dum eadem taberna et Spyridio et alii sacerdotes pernoctant, hi media nocte experrecti, cibo arrepto, foras se emittere incipiebant, et Spyridioni, quominus sequeretur, obstare conabantur.

114.

E quibus unus, qui socios retinuerat, rogavit, quamobrem tanta celeritate domum relinquerent: respondebant omnes se id facere, ut sine Spyridione homine inculto et immundo reliquam itineris partem perficerent. Quibus autem persuadebat, ut, priusquam e taberna exirent, subtili consilio uterentur. "Abscisis mulorum eius," inquit, "capitibus, non modo ipsi Nicaeam securi vos conferetis, sed Spyridionem, ne sequatur, impedire poteritis. Hoc consilio libenter accepto, quum mulorum alterius candidi, alterius spadicis capita decidissent, maxima celeritate aufugerunt. Spyridio autem prima luce experrectus servos ad mulos inveniendos statim demisit, qui, cum sine mora rediissent, primo stupefacti tacebant.

115.

Dominus autem "Nonne mulos," inquit, "in stabulo paratos invenistis?" "Immo vero," responderunt, "sed homines scelesti et improbi capita iis detraxerunt." Ille autem neque hilarem deposuit vultum, neque irato utebatur animo; sed servis, ut mulos adducerent, imperavit. Quibus quum in tabernam adductis mira quadam arte capita adhuc decisa reposuisset, in Asiam statim contendit. Quo facto, additum est etiam detrectantibus maximum argumentum, sacerdotem illum re vera hoc tam difficile miraculum perfecisse: namque, quia sub incerta luce colores nullo modo distinguere potuerat, capita invicem mutata candido spadix, spadici candidum forte reposuit.

116. The Fate of Lampsacus.

Ad vafrum consilium Anaximenis, qui in omni dicendi ratione clarissimus erat, urbis Lampsaci salus est referenda. Nam cum ad excidium urbis summo studio Alexander ferretur, progressumque extra moenia Anaximenem praeceptorem suum vidisset, quia manifestum erat futurum ut preces suas irae eius opponeret et ad dissuadendum ore eloquenti usurus esset, id se non facturum, quod petiturus esset, rex iuravit. Tunc Anaximenes tam acrem exhibuit sagacitatem, ut Alexandri etiam ingenium vinceret: extemplo enim respondit: "Peto ut Lampsacum diruas." His dictis rex obstrictus iureiurando et Anaximenis voluntati obsecutus, urbem vetusta nobilitate inclitam exitio, cui destinata erat, subtraxit.

117. The Deaths of Aeschylus, Euripides, Sophocles.

Poetarum tragicorum quantum inter se distarent mortes, cognoscere operae pretium est. Moenibus Gelae urbis, in qua morabatur, Aeschylus egressus aprico in loco resedit. Super quem aquila, quae testudinem ferebat, splendore capitis (erat enim calvum) elusa, ei perinde ac lapidi onus illisit, ut carne vesceretur. Quo occisus ictu extemplo Aeschylus est mortuus: Euripidis autem aliquanto atrociorem finem passus est. Dum enim ab Archelai Macedonis cena domum repetit, canum morsibus laniatus obiit. Sophocles vero extremae iam senectutis, cum in certamine fabulam docuisset, ancipiti sententiarum eventu diu sollicitus, denique tamen una sententia victor, causam mortis gaudium habuit.

118. A difficult Case.

Protagoras sophista acerrimus cum Evathlo discipulo simultatem gessit: super pacta mercede inter eos haec lis erat et controversia. Evathlus dives adolescens, eloquentiae dicendae orandarumque causarum cupidus, in disciplinam Protagorae se dedit, seque daturum promisit grandem mercedem, quantam pecuniam Protagoras petiisset: cuius dimidium tunc statim, priusquam disceret, dedit, pepigitque ut alterum dimidium daret, quo die causam apud iudices orasset et vicisset. Postea quum diu Protagorae auditor assentatorque fuisset et in studio facundiae abunde se promovisset, causas tamen non reciperet, tempusque iam longum praeteriret, reliquam mercedis partem solvere noluit.

119.

Protagoras autem, consilio quod tum astutum existimabat inito, ab Evathlo pactam mercedem petiit: lite cum Evathlo contestata, quum ad iudices ad causam diiudicandam utrique venissent, Protagoras sic exorsus est. "Disce," inquit, "o adolescens stultissime, sive contra te sive pro te iudices sententias dixerint, fore ut reddas id quod peto. Nam si contra te constitutum erit, mercedem mihi e iudicum sententia debebis, quia ego vicero: sin autem secundum te iudicatum erit, mercedem mihi ex nostro pacto debebis, quia tu viceris." Cui respondit Evathlus; "Huic tuae tam ancipiti captioni obviam ire possem, si verba non ipse facerem atque alio patrono uterer. Sed maiorem mihi voluptatem victoria afferet, si te non in causa modo sed in isto argumento quoque vicero.

120.

"Disce igitur tu quoque, o magister sapientissime, utrocunque modo sit constitutum, id, quod petis, te non consecuturum esse, sive contra me, sive pro me sit pronuntiatum. Nam si iudices pro causa mea senserint, nihil tibi e iudicum sententia debebo, quia ego vicero: sin autem contra me pronuntiaverint, nihil tibi e nostro pacto debebo, quod non vicero." Tum iudices hoc spinosum esse et inexplicabile, quod utrinque dictum esset, rati, ne sententia sua, utramcunque in partem esset dicta, ipsa sese rescinderet, re integra relicta, causam in longinquum tempus distulerunt. Itaque Evathlus argumentum, quo usus erat Protagoras, contra eum conversum ita retulit, ut discipulus magistrum devicerit.

121. An Infamous Horse.

Cn. Seium scribunt Romani auctores equum Argis natum habuisse, qui magnitudine inusitata, cervicibus arduis, colore phoeniceo, comanti iuba, omnibusque aliis equorum laudibus longe praestabat; at tali usus est fortuna, ut quisquis eum haberet cum omni domo, familia, fortunis, funditus deperiret. Itaque, quum Seius capitis damnatus miserando supplicio esset affectus, Dolabella in Syriam profectus istius equi fama adductus est, ut Argos deverteret et sestertiorum centum milibus eum emeret. At bello civili Dolabella in Syria obsesso atque interfecto, C. Cassius, qui Dolabellam obsederat, equum abduxit: idem, exercitu suo fuso, miseram mortem oppetiit. Hinc illud de hominibus calamitosis ortum dicique solitum, "ille Seianum equum habet."

122. The Singer and the Cricket.

Fidicen quidam, qui certamen canendi iniit, et voce et fidibus canere tanta arte incepit, ut non modo amicos circumstantes sed eos etiam, qui peritius de arte canendi disceptabant, delectare posset. At dum hac iucunda voluptate omnes fruuntur, subito una e septem fidibus, quibus lyra est comparata, interrumpitur, quam ita interruptam fidicen frustra tentat attingere. Huic aegre canenti cicada auxilium praestat, quae per artem singularem pro nervo iam deficiente suam vocem tam iuste praebet, ut nemo praeter ipsum fidicinem illius nervi proprium sonitum deesse intelligat. Tum demum ille victor, praemio accepto, domum rediit: nec tamen ingratus, sui imaginem de marmore faciendam, et cicadae tanquam adiutricis effigiem ad lyrae fides apponendam curavit.

123. Antigonus and his Horses.

Cum Antigonus in castello Phrygiae, quod Nora appellatur, circumsederetur et vereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi, callidum fuit eius inventum, quemadmodum stans iumentum calefieri exercerique posset, quo libentius et cibo uteretur, et a corporis motu non removeretur. Altius substringebat caput loro quam ut prioribus pedibus plane terram posset attingere. Deinde post verberibus cogebat exsultare et calces remittere : qui motus non minus sudorem excutiebat quam si in spatio decurreret. Quo factum est, quod omnibus mirabile visum est, ut iumenta aeque nitida ex castello educeret, cum complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset.

124. Roman Rule.

Refert Cicero L. Domitium praetorem in Sicilia, quum aper ingens ad eum allatus esset, admiratum requisivisse quis eum percussisset. Quum audisset pastorem fuisse, eum ad se vocari iussisse : illum cupide ad praetorem quasi ad laudem et ad praemium accurrisse : quaesivisse Domitium, quomodo tantam bestiam percussisset : illum respondisse, venabulo. Statim deinde iussu praetoris in crucem esse sublatum. De quo intellegendum esse maluisse Domitium crudelem in animadvertendo quam in praetermittendo dissolutum videri. Nobis autem hoc edictum, ne quis cum telo servus esset, quo Domitius utebatur, haud civile, supplicium, quo pastor est affectus, inhumanum videtur.

125. Justice and Mercy.

Zaleucus, si quis alius sapiens et ad rempublicam gerendam sagax, urbem Locrensium saluberrimis et utilissimis legibus munivit: quas ut confirmaret, aliis sceleribus alias poenas iuste assignavit. His compositis, quum filius eius crimine damnatus secundum ius ab ipso constitutum utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris poenam adolescentuli remitteret, aliquamdiu repugnavit. Tum demum precibus populi devictus, suo prius, deinde filii oculo effosso, usum videndi utrique reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit: quo facto cum civem iustum tum patrem misericordem se praestitit.

126. Fat Man in Londonderry.

Urbe quadam Hibernica diu obsessa, cives cuncti tanta fame afficiebantur, ut etiam canes, equos, alia animalia consumere cogerentur. Panis enim in paucis locis idemque mucidus inveniri poterat: et nocte et interdiu cives undique mortui ante oculos omnium iacebant: omnes intellexerunt, nisi auxilium sine mora adveniret, fore ut urbs, quam tanta virtute defendissent, ab hostibus caperetur. At inter homines fame confectos et macie corruptos unus pinguis propter corporis magnitudinem invidiam patiebatur: admirati enim illum tam pinguem esse multi paene devoraturi videbantur. Ille autem omnis facinoris praeter obesitatem innocens, ut esurientium et mortem minantium aspectum vitaret, domi perterritus manebat. Tum demum, urbe obsidione liberata, id quod ei maximo periculo fuerat, ludibrio solum postea fit.

127. Customs of the Maories.

Saevi mores et crudeles inter eos, qui nec iura divina nec humana cognoverunt, referuntur. At permulta, quae nobis absurda et plane ridicula videntur, nonnunquam e consilio neque insulso neque imprudenti sunt orta. Maorienses enim, qui partem orbis terrarum regioni nostrae oppositam colunt, cum moribus quibusdam bonis et honestis usi tum disciplinas artesque haud despiciendas prosecuti, multam laudem merentur. Sed, quamvis in aliis modis aliquantum humanitatis exhiberent, homines comedere quondam solebant. Neque id tamen faciebant ferocitate adducti neque ulciscendi cupidi: sed, quum perpauca, quae consumere possent, in illis insulis invenissent, ut carnem humanam praegustarent, sibi persuadebant. Eo accedebat ut, mirae opinioni obsecuti, se omnibus et corporis et animi virtutibus eius quem comederent potituros, se corrigere et emendare per illas epulas vellent.

128. Building of Athens.

Post Persas apud Salamina devictos Lacedaemonii, postquam audierunt muros Atheniensium instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His praesentibus desierunt Athenienses ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles et solus primo profectus est: reliqui legati ut tum exirent, cum altitudo muri satis magna videretur, praecepit: ut interim omnes servi atque liberi opus facerent neque ulli loco parcerent, sive sacer esset sive profanus. Themistocles autem ut Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit, et dedit operam ut quam longissimum tempus duceretur: causam enim interposuit, se collegas exspectare.

129.

Cum Lacedaemonii quererentur opus nihilominus fieri eumque in ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt secuti; a quibus cum audiisset non multum superesse munitionis, apud Ephoros Lacedaemoniorum accessit et contendit, falsa iis esse delata: quare aequum esse illos bonos nobilesque viros mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent; interea se obsidem retinerent. Gestus est ei mos: tresque legati summis functi honoribus Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles iussit proficisci eisque praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent quam ipse esset remissus. Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, apud Ephoros liberrime professus est Athenienses suo consilio muris urbem saepsisse.

130. Timoleon in Sicily.

Timoleon post res optime gestas Syracusis, quod reliquum vitae fuit, privatus vixit. Nullus honor huic defuit; neque postea res ulla Syracusis gesta est publice, de qua prius sit decretum quam Timoleontis sententia cognita. Nec tamen propter hanc rem ad superbiam est elatus. Is enim, cum quidam nomine Demaenetus in contione populi de rebus gestis eius detrahere coepisset, ac multa inveheretur in Timoleonta, dixit nunc demum se voti esse damnatum; namque hoc a Diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restitueret Syracusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere. Hic cum diem supremum obiisset, publice a Syracusanis in gymnasio, tota celebrante Sicilia, sepultus est.

131. An Eastern Preacher.

Inter Arabas olim erant sacerdotes qui in contionem populum advocare solerent; e quibus unus insolitum sermonem habuit. Utrum eos qui audiebant dolore afficere, an domum quam celerrime redire voluerit, incertum est. "Num scitis," inquit, "quae sim hodie dicturus?" Omnes negabant. "Idcirco," respondit ille, "nil mihi prodest tempus consumere, ut homines tam insulsos doceam. Postridie quum ad tribunal ascendisset, rogavit, utrum ii qui audiebant, quae esset dicturus, scirent necne. Se scire responderunt; dixit ille, nil igitur opus esse se illa narrare. Tertio tandem die sacerdoti idem interroganti responderunt, alios illa scire, alios ignorare. Quibus autem ad respondendum paratus "ii qui sciunt," inquit, "ignorantes faciant certiores."

132. The Artful Hannibal.

Ad Eumenem regem Romanis amicissimum interficiendum Hannibal talem iniit rationem. Classe paucis diebus erant decreturi. Superabatur Hannibal navium multitudine. Dolo igitur erat pugnandum, cum par non esset armis. Hic iussit quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi easque in vasa fictilia conici. Harum cum confecisset magnam multitudinem, die ipso, quo facturus erat navale proelium, classiarios convocat hisque praecepit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem; rex autem in qua nave veheretur, ut scirent, se facturum promittit; quem si aut cepissent, aut interfecissent, magno illis pollicetur praemio fore.

133.

Tali cohortatione militum facta, classis ab utrisque in proelium deducitur. Quarum acie constituta, priusquam signum pugnae daretur, Hannibal ut palam faceret suis, quo loco Eumenes esset, tabellarium in scapha cum caduceo mittit; qui, ubi ad naves adversariorum pervenit, epistolam ostendens, se regem professus est quaerere. Statim ad Eumenem deductus est, quod nemo dubitabat quin id de pace esset scriptum. Tabellarius, ducis nave declarata, eodem, unde ierat, se recepit. At Eumenes, soluta epistola, nihil in ea reperit, nisi quod ad irridendum pertinet; cuius etsi causam mirabatur (neque reperiebat), tamen proelium statim committere non dubitavit. Horum in concursu Bithyni Hannibalis praecepto universi navem Eumenis adoriuntur.

134.

Quorum vim cum rex sustinere non posset, fuga salutem petiit; quam consecutus non esset, nisi intra sua praesidia se recepisset, quae in proximo litore erant collocata. Reliquae Pergamenae naves cum adversarios premerent acrius, repente in eas vasa illa fictilia, de quibus mentionem supra fecimus, conici coepta sunt; quae iacta initio risum pugnantibus excitarunt, nec, quare id fieret, poterat intellegi. Postquam autem naves completas conspexerunt serpentibus, nova re perterriti, cum, quid potissimum vitarent, non viderent, puppes averterunt, seque ad sua castra nautica retulerunt. Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit: neque tum solum sed saepe alias pedestribus copiis pari prudentia pepulit adversarios.

135. What is in the Bag?

In Libycis desertis vagatus Arabs tandem, quum nullum cibum diu consecutus esset, paene fame consumebatur. Lacum autem subito aspicit, apud quem aquationis causa, ut bibant cameli, viatores consistunt; ad quem quum pervenisset, in arena deiectum culeum vidit, quem ut distentum sensit, "Grates Dis immortalibus ago maximas," inquit, "hunc enim culeum aut palmulas aut nuces continere pro certo habeo; quam iucundis epulis frui potero! quanta commoda diu optata mihi contingent!" quibus dictis animo elato, dum cibum sibi esurienti futurum sperat, culeum aperit. Iis vero, quae ibi conduntur, expositis, magnum concipit dolorem: "Vae mihi misero," inquit, "nihil inest praeter margaritas inutiles."

136. Alexander's Doctor.

Quum Alexander Tarsum venisset, captus Cydni amoenitate in praefrigidam undam se proiecit. Tum repente tantus nervos eius occupavit rigor, ut nulla spes remedii inveniretur. At unus erat ex medicis nomine Philippus qui solus remedium pollicebatur; sed illum epistola a Parmenione pridie missa suspectum faciebat, qui ignarus Alexandri infirmitatis monuerat, ut a Philippo medico caveret; nam corruptum illum a Dario ingenti pecunia esse. Tutius tamen est ratus Alexander dubiae se fidei medici credere, quam indubitate morbo perire. Accepto igitur poculo, epistolam medico tradidit; itaque inter bibendum oculos in vultum legentis intendit. Ut securum conspexit, laetior factus sanitatem quarta die recepit.

137. The Dervish.

Philosophus ingenio praeditus subtili et rerum omnium peritus, per Sericas partes vagatus, quum ad oppidum Balcam pervenisset, in regis palatium, quod pro publico hospitio habuit, forte iniit. Postea omnia, quae palam erant exposita, conspicatus, stragulo, ut mos est, humi deposito requiescere voluit. Cui haec molienti obviam se ferebat unus e custodibus, qui eum rogavit, quid facere vellet. Respondit philosophus se in illo hospitio deversurum esse. "At," inquit ille iratus, "haec domus revera regis palatium est, non publicum hospitium." Dum haec aegre ferebant custodes, accidit ut rex ipse haud procul ambularet atque eos disceptantes exaudiret.

138.

Qui quum errori philosophi innocentis arrisisset, rogavit eum haud immiti usus voce, quamobrem tam insulsus esset, ut nullum discrimen inter hospitium et palatium intellegeret. "Da mihi petenti veniam," respondit philosophus; "cupio enim te pauca interrogare. Quis primus hanc domum iam aedificatam incolebat?" Rex respondit primo suos incoluisse avos, tunc autem suum patrem. "Quis autem hodie incolit?" Se ipsum. "Quis tandem tibi mortuo succedet?" Filium suum iuvenem. At respondit philosophus "Ea domus, quae incolas saepissime mutet neque eosdem hospites retinere possit, mihi quidem hospitium, non palatium videtur."

139. The Nobility of Iphicrates.

Iphicrates Atheniensis non tam magnitudine rerum gestarum quam disciplina militari nobilitatus est. Fuit enim talis dux, ut non solum aetatis suae cum primis compararetur, sed ne de maioribus natu quidem quisquam anteponeretur. Multum vero in bello versatus saepe exercitibus praefuit: nusquam culpa sua male rem gessit: semper consilio vicit: tantumque eo valuit, ut multa in re militari partim nova attulerit, partim meliora fecerit. Namque ille pedestria arma mutavit, cum ante illum imperatorem maximis clipeis, acribus hastis, minutis gladiis uterentur. Ille e contrario peltam pro parma fecit, ut ad motus concursusque essent leviores. Hastae modum duplicavit; gladios longiores fecit.

140.

Apud Corinthum tanta severitate exercitui praefuit, ut nullae unquam in Graecia neque exercitatiores copiae, neque magis dicto audientes fuerint duci: in eamque consuetudinem adduxit, ut, cum proelii signum ab imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordinatae consisterent, ut singuli ab peritissimo imperatore dispositi viderentur. Hic autem a sutoribus originem traxit: quod quum opprobrio obiecisset homo nobilis quidem sed turpis et scelestus, qui inter avos Harmodium iactavit, respondit Iphicrates, "Ista nobilitas, quae ad te devenit, illico evanescit: mea autem, quae a me est exorta, in posteros progredietur."

141. An Idle Boy.

Tres pueri ad ludum ventitabant. Ludi autem magister eos multa et utilia docere voluit: curam enim adhibebat non modo ut Latine et Graece loquerentur, sed et ea, quae geometrae et mathematici scripserant, intellegerent. At, quum tres menses haec didicissent, ludi magister experiri voluit, utrum ea quae docuisset in memoria retinerent necne. "Dic mihi, sodes," inquit ille, "orbisne terrarum circum solem movetur an sol circum orbem terrarum volvitur?" Pueri autem quid respondere possent nesciebant: primus igitur respondit orbem terrarum circum solem moveri, secundus autem rem contrarie dispositam esse affirmavit. Sed tertius in diversas partes distractus, "Uno die" inquit "sol circum orbem terrarum, altero orbis terrarum circum solem movetur."

142. A Roman Gentleman Outwitted.

C. Canius eques Romanus, quum se Syracusas contulisset, dictitabat se hortulos aliquos emere velle, quo invitare amicos et ubi se oblectare posset. Quod quum percrebruisset, Pythius ei quidam dixit venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis; et simul ad cenam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Quum ille promisisset, tum Pythius piscatores ad se convocavit et ab iis petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur dixitque, quid eos facere vellet. Ad cenam tempore venit Canius. Opipare a Pythio apparatum convivium; cymbarum ante oculos multitudo; pro se quisque quod ceperat afferebat; ante pedes Pythii pisces abiciebantur.

143.

Tum Canius, "Quaeso," inquit, "quid est hoc, Pythi? Tantumne piscium? tantumne cymbarum?" Et ille "Quid mirum?" inquit; "hoc loco est, quicquid Syracusis est piscium." Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio, ut venderet. Quid multa? impetrat. Emit homo cupidus et locuples tanti, quanti Pythius voluit. Invitat Canius postridie familiares suos: venit ipse mature; ne unum quidem piscatorem videt. Quaerit ex proximo vicino num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret. "Nullae, quod sciam," inquit, "sed hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar, quid accidisset." Stomachari Canius: sed quid faceret?

144. The Eruption of Vesuvius.

Irrumpit cubiculum meum mater: surgebam invicem, si quiesceret, excitaturus. Ecce amicus avunculi mei, qui nuper ad eum ex Hispania venerat, ut me et matrem sedentes, me vero etiam legentem videt, illius patientiam, meam securitatem corripit. Iam hora diei prima et adhuc dubius et quasi languidus dies: iam quassatis circumiacentibus tectis, quanquam in aperto loco, angusto tamen, magnus et certus ruinae metus. Tum demum excedere oppido visum: multa ibi miranda, multas formidines patimur. Nam vehicula, quae produci iusseramus, quanquam in planissimo campo, in contrarias partes agebantur ac ne lapidibus quidem fulta in eodem vestigio quiescebant.

145.

Praeterea mare in se resorberi et tremore terrae quasi repelli videbamus. Certe processerat litus multaque animalia maris siccis arenis detinebat. Nec multo post illa nubes descendere in terras, operire maria: tum mater orare, hortari, iubere quoquo modo fugerem; posse enim iuvenem; se et annis et corpore gravem bene morituram, si mihi causa mortis non adfuisset. Ego contra salvum me nisi una non futurum: dein manum eius amplexus addere gradum cogo. Paret aegre incusatque se, quod me moretur. Iam cinis, adhuc tamen rarus: respicio, densa caligo tergis imminebat, quae nos torrentis modo infusa terrae sequebatur. Tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamve discessit: mox dies verus, sol etiam effulsit luridus tamen, qualis esse, cum deficit, solet.

146. Catching a Tartar.

Viator per loca deserta saltusque devios profectus, quia magnum argenti pondus secum portabat, ne latrones ex inopinato incurrerent, accuratius vigilabat. Cui multa pericula et graves labores perpesso, quum fere finem itineris attigisset, subito obviam irruit homo ferox et robustus, et tanta vi oppressit, ut mox omnibus rebus viatorem exspoliaverit. At ille, quem vicerat latro impetu repentino, ad amissam pecuniam recuperandam animum applicabat: cui reputanti manifestum videtur doloso utendum esse consilio. Propterea ad latronem conversus "Invitus," inquit, "divitias tibi concessi: mei enim amici aegre ferent me tantum argenti pondus amisisse et obiurgabunt quod hominem ignavum et timidum me tibi praestiterim."

147.

Quum latro subrideret, respondit ille: "Mihi quidem iniquum videtur non modo pecuniam sed etiam existimationem eodem die perdidisse. Quare fac ut digitum, quem in hoc ligno deponam, gladio abscidas, quo absciso facile hoc argumentum omnibus praebebo me re vera pro mea pecunia dimicasse." Viatori haec loquenti quum respondisset latro, se libenter digitum in ligno depositum abscisurum, gladium e vagina extractum in digitum viatoris magna vi deiecit. At ille, subito motu manu de ligno subducta et gladio ligno inhaerente, latronem correptum loro constrinxit. Itaque non modo pecuniam recuperavit, sed inter homines vir fortis et impavidus est relatus.

148. The Luckless Atys.

Erant Croeso regi Lydorum filii duo: quorum alter corporis vitio laborabat; erat enim mutus: alter inter aequales omnibus rebus praestantissimus, cui nomen erat Atys. Hunc Croeso in somnio significatum est ferreae cuspidis ictu moriturum esse: quare ille experrectus Atyn, qui exercitui Lydo praeesse solitus erat, militia abesse iussit: iacula vero et hastas et alia tela, quibus viri ad bellum utuntur, ne quid in pariete suspensum in filium suum incideret, amovenda curavit. Interim advenit Sardes vir calamitate obstrictus, qui Croeso roganti, "Quis es tu, homo, et unde venisti?" respondit, "O rex, Adrastus Gordiae sum filius: fratrem meum occidi invitus; quamobrem a patre eiectus et rebus omnibus destitutus hic adsum." Cuius regem miseruit, quod et inops et maestus videbatur; propterea in aedibus tutus Adrastus vitam agebat.

149.

Haud multo post in Olympo exstitit mira magnitudine aper; qui ex illo monte descendebat et arva Mysorum vastabat: Mysi autem, saepe egressi, nihil mali inflixerant sed magnam cladem ab illo acceperant. Quamobrem venerunt ad Croesum Mysorum legati, oratum ut rex filium suum et iuvenes canesque selectos ad Mysiam mitteret. Quibus Croesus ea recordatus, quae in somnio erant praedicta, respondit, "Lydorum iuvenum manum et omnia venatoria instrumenta libenter offeram, ut quam promptissime beluam e vestra terra venatores summoveant." Quae quum audiisset Atys, patrem vehementius est obtestatus ut ad aprum devincendum ipse demitteretur. "Tibi," inquit, "in somnio significatum est me ferrea cuspide moriturum: at apro quaenam sunt manus, quae ferrea cuspis quam tu timeas?" Hoc modo Croesus evictus veniam exeundi filio haud libenter dedit.

150.

Deinde Atys cum iuvenibus canibusque selectis profectus, ubi Olympum pervenit, beluam indagant et inventam iaculis incessunt. Ibi Adrastus hospes, vibrato in aprum iaculo, quod ab illo aberrat, Croesi filium traicit: qui cuspide ictus statim mortem obiit. Atys autem, dum cadaver domum Lydi ferunt, pone secutus, Croeso se tradidit atque eum oravit ut se super cadavere mactaret: neque enim esse sibi vivendum. Quibus auditis, rex Adrastum miseratus, ait: "Satis poenae a te repeto: quoniam ipse te capitis condemnas, neque tu tamen huius

mali auctor es, sed nescio quis deus, qui mihi iam pridem hoc futurum significavit." Itaque Croeso filium iuste sepeliendum curante, Adrastus idem et fratris sui et regis filii interfector se omnium hominum infelicissimum esse ratus, ubi circa sepulcrum silentium erat, super busto se ipse iugulavit.

151. Was She Cured?

Anus, quae diuturnam lippitudinem patiebatur, medico ad se curandum arcessito, certum praemium se daturam esse promisit, si morbum sanasset: sin autem non dolore liberata esset, nihil ei daturam esse. Medicus vero, quoties ad anum curandam veniebat, toties aliquid supellectilis e domo clam exportabat. Mulier autem, oculorum dolore tandem sanato, cum nihil suarum rerum domi prospiceret, medico pactam mercedem petenti solvere nolebat. Quamobrem in iudicium vocata ea esse pacta non negat: sed se sanatam esse, id infitiatur. "Ego enim," inquit, "dum caeca eram, domum multa supellectile refertam videbam: nunc cum video, ut medicus quidam dictitat, nihil earum rerum domi prospicio."

152. The Hunt of the Priest.

Rex Childebertus sacerdotis Egidii voluntati obsecutus pacem cum hoste conciliare voluit. Exercitus autem noctu commotus undique vociferabatur, "Tollantur ii, qui regnum Childeberti venundant et populum alterius ditioni tradere volunt." Dum haec et his similia palam exclamant, mane apprehenso armorum apparatu ad regis tentorium accedebant, scilicet ut Egidium vi oppressum et verberibus afficerent et gladiis trucidarent. Quibus compertis, sacerdos in fugam se dedit et, quum in equum ascendisset, ad

urbem propriam iter intendit. At populus ille magno cum clamore prosecutus et lapides post eum proicit et convicia evomit. Attamen lassatis sociorum equis solus contendit Egidius tanto timore perterritus, ut unam caligam de pede elapsam colligere non curaret: sic inter muros Rhemisios se conclusit.

153. Jupiter and the Bee.

Apis quum quondam, ut diis sacra faceret, Olympum accessisset, Iovi mellis donum obtulit. Quo oblato Iuppiter delectatus, quodcunque ipsa postularet, ei concedi iussit. Apis igitur "O rex," inquit, "omnium hominum et deorum, ancillae tuae hoc concedere velis, ut, quicunque in alvearium ad mella diripienda accesserit, ille simul ac pupugerim continuo moriatur." Quum de hoc rogato diu haesitaret Iuppiter, quoniam genus mortalium praecipue amabat, api petenti tandem respondit: "Sit tibi satis, quod, quicunque in alvearia ad mella rapienda accesserit, si eum pupugeris et in pungendo stimulum dimiseris, continuo ipsa moriaris." Unde accidit ut stimulo in vulnere demisso apes continuo pereant.

154. Cleobis and Bito.

Quum festus dies Iunonis Argis ageretur, oportebat sacerdotem, cuius filii erant Cleobis et Biton, adesse. Itaque, quum illam ad sollemne et statum sacrificium curru vehi ius esset satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque iumenta, tunc iuvenes ii, quos modo nominavi, veste posita corpora oleo perunxerunt et ad iugum accesserunt. Ita sacerdos in fanum advecta, quum currus esset ductus a filiis, precata a deo dicitur, ut illis praemium pro pietate daret, quod maximum homini dari posset a deo:

ferunt post epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse: mane inventos esse mortuos. Quum igitur omnium oculi in eos converterentur, optimus iis obtigit vitae exitus.

155. Queen Nitocris.

Nitocris Babylonis regina eximia monumenta aedificasse eademque hunc dolum machinata traditur: quae super porta urbis celeberrima sepulcrum sibi exstrui iussit; cui sepulcro hanc sententiam inscribendam curavit: "si quis eorum, qui post me reges erunt Babylonis, pecunia indiguerit, hoc sepulcrum aperiat et, quantum pecuniae velit, sumat." Id sepulcrum intactum perstitit, donec regnum ad Darium pervenit. Dario autem res indigna esse videbatur, illa porta non uti nec pecuniam, quae ibi deposita esset atque etiam ipsa se invitaret, auferre. Igitur sepulcrum aperuit: neque ullam reperit pecuniam sed cadaver aliaque inscripta verba "Nisi animo esses insatiabili et turpi lucro inhiares, defunctorum loculos non aperuisses."

156. Debatable Ground.

Accidit olim ut Lacedaemonii cum Argivis de loco, cui nomen Thyre, contentionem haberent. Lacedaemonii enim Thyren, quam suam esse Argivi profitebantur, vi ademptam tenebant: quum igitur Argivi ad opem ferendam accurrissent, in colloquium ibi cum Lacedaemoniis convenerunt pactique sunt, ut trecenti utrinque pugnarent et eorum regio foret qui superiores exstitissent: reliquus autem utrorumque exercitus domum discederet, scilicet ea causa ne, si adessent, parti succumbenti auxilium sui ferrent. Quibus compositis atque exercitibus digressis, selecti ex

utrisque relicti certamen inierunt: qui quum aequo Marte pugnassent, ex sexcentis tres omnino reliqui fuere: ex Argivis Alcernas et Chromius, e Lacedaemoniis Othryades.

157.

Hi quum interveniente nocte superessent, duo Argivi, ut victores, cursu Argos repetierunt: Lacedaemonius vero Othryades spoliatis Argivorum cadaveribus armisque in sua castra delatis in statione mansit. Postridie utrique re audita advenere : ac statim se vicisse utrique contendebant: Argivi, quod suorum plures superfuissent, Lacedaemonii autem illos profugisse demonstrantes, suum vero perstitisse et cadavera Argivorum spoliasse. Ad extremum ex contentione ad arma concurrunt, pugnam capessunt et multis utrinque caesis Lacedaemonii victores discedunt: Othryaden autem superstitem aiunt pudore retentum, ne occisis commilitonibus Spartam rediret, illic apud Thyren mortem sibi conscivisse.

158. Aristides the Just.

Aristides Atheniensis adeo excellebat abstinentia, ut unus post hominum memoriam cognomine Iustus sit appellatus; a Themistocle tamen collabefactus testula illa, quae ostracismus vocabatur, exilio decem annorum mulctatus est. Qui quidem cum intellegeret reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animadverteret quendam scribentem ut patria pelleretur, quaesivisse ab eo dicitur, quare id faceret? aut quid Aristides commisisset, cur tanta poena dignus duceretur? Cui ille incultus quidem et rerum inscius respondit se ignorare Aristidem; sed sibi non placere, quod tam cupide elaborasset ut praeter ceteros Iustus

appellaretur. Hic decem annorum legitimam poenam non pertulit: nam, postquam Xerxes in Graeciam descendit, ut civibus suis esset auxilio, in patriam restitutus est.

159. Honesty is the Best Policy.

Lignatoris iuxta flumen deo Mercurio dedicatum tigna caedentis securis casu in flumen decidit. Quo multa tristitia affecto et iuxta fluminis ripam considente, Mercurius misericordia motus apparuit, lacrimarumque causam rogavit; quam simul ac didicerat, securi aurea delata, utrum illa esset quam amisisset, sciscitatus est. Se autem pauperem non eiusmodi securim habere respondit. Deinde aliam argenteam Mercurius detulit; quam quoque ubi lignator suam esse negavit, postremo Mercurius ligneam praebuit. Illam suam esse homini affirmanti Mercurius, quoniam eum iustum piumque esse cognoverat, omnes dono dedit.

160.

Lignator autem ad socios reversus omnia, quae sibi acciderant, aperuit; e quibus unus, ut eadem experiretur, quum ad flumen accessisset, securim in aquam deiecit; deinde flens in ripa consedit. Quem flentem Mercurius conspicatus, ac malisne moribus an bonis esset cognoscendi cupidus, securim ei, ut alteri, auream attulit et rogavit, utrum eam quam ipse afferret amisisset, necne. Quam ubi suam esse affirmaverat, Mercurius, cognito hominis mendacio atque impudentia, neque auream neque ligneam praebere voluit. Itaque securi lignea amissa, non modo improbus sed etiam stultus omnibus videbatur.

161. A Boundary Question.

Qua tempestate Carthaginienses magna Africae parte potiti erant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus, una specie; neque flumen neque mons erat, qui fines eorum discerneret. Postquam utrinque legiones, item classes saepe fusae fugataeque, et alteri alteros aliquantum attriverant, veriti, ne mox victos victoresque defessos alius aggrederetur, sponsionem fecerunt, ut certo die legati domo proficiscerentur. Quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur. Igitur Carthagine duo fratres missi, quibus nomen Philaenis erat, iter maturavere; Cyrenenses tardius ivere. Id socordiane an casu acciderit, parum cognovi.

162.

Postquam Cyrenenses aliquanto tardiores se esse vident et ob rem corruptam domi poenas metuunt, criminantur Carthaginienses ante diem domo egressos, conturbant rem, denique omnia facere malunt quam victi abire. Sed cum Poeni alteram contionem, dummodo aequa esset, peterent, Cyrenenses hanc iis obtulerunt, vel illos in iis finibus, quos peterent, vivos obrui, vel sese, quem in locum vellent, processuros. Philaeni, qui inter Poenos iuvenes praeclari habebantur, condicione probata seque suamque vitam reipublicae condonavere; ita vivi obruti. Carthaginienses in eo loco Philaenis fratribus aras consecravere, aliique illis domi honores sunt instituti.

163. The Reward of Piety.

Simonides, musicae si quis alius peritus, inter convivas carmina haud iniucunda canere solebat. Hic, dum omnes epulantur, cantum, ut mos erat, numerosum edere incipiebat, in quo laudem Deorum hominumque consociaverat. Qui, quum iam eum peregisset, praemii soliti parte non data, rogavit, quamobrem dimidiam partem recepisset. Responderunt convivae: "Nos quidem eam pretii partem, quam debemus, iuste praestitimus. Di ipsi tibi eos collaudanti alteram partem persolvant." Haec autem impia dicta Deos non fefellerunt. Haud enim multo post unus e servis Simonidem fecit certiorem duos iuvenes insigni forma et pulchritudine divina pro foribus stare.

164.

At Simonides iuvenum iussu arcessitus, cum foras se proripuisset, mox Deorum beneficium percepit; illos quidem non vidit, sed magno exaudito strepitu atrium, e quo excesserat, dilapsum conspexit. Tectum enim subito corruit; et servi et convivae, una strage correpti, tignis, tegulis, lapidibus opprimebantur. Tum demum Simonides reversus, cum convivas inter pocula iam mortuos aspexisset, hoc intellexit, Deos non modo suis laborantibus subvenire solere, sed etiam ab impiis poenas sumere. Traduntur enim ipsi Dioscuri eo devenisse, qui Simonidem, ut Deorum cultorem, ex impendente ruina extraherent.

165. The Patriotic Codrus.

Rex Atheniensium Codrus, quum ingenti hostium exercitu regiones Atticae debilitatae ferro atque igne vastarentur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos sciscitatus est, quonam modo illud tam grave bellum discuti posset. Respondit deus finem ei fore, si ipse hostili manu occisus esset. Quod quidem non solum in totis Atheniensium castris sed etiam in hostilibus percrebruit: ideo factum est ut ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam cognovit, depositis imperii insignibus, famularem cultum induit, ac pabulantium hostium globo se obiecit: unum ex his falce percussum in caedem suam compulit. Cuius interitu, ne Athenae occiderent, effectum est.

166. Doubtful Compliments.

Anus quaedam, Syracusanis omnibus Dionysii tyranni exitum propter nimiam morum acerbitatem atque intolerabilia onera expetentibus, sola quotidie matutino tempore deos, ut incolumis ac sibi superstes esset, orabat. Quod ubi is cognovit, non debitam sibi admiratus benevolentiam, arcessivit eam, et, cur ita hoc faceret, interrogavit. Tum illa, "Certa est," inquit, "ratio propositi mei. Ego enim puella, cum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam: quo interfecto, aliquanto tetrior alter arcem occupavit. Eius quoque finiri dominationem magnopere cupiebam: tertium te superioribus importuniorem habere coepimus rectorem. Itaque quia vereor ne, si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute devoveo."

167. A Forgiving Slave.

Antius Restio proscriptus a triumviris cum omnes servos in rapina et praeda detentos videret fuga, quam maxime poterat, dissimulata, se penatibus suis intempesta nocte subduxit. Cuius furtivum egressum servus, ab eo vinculorum poena coercitus atque inexpiabili literarum nota per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis ac vestigia huc atque illuc errantis benevolo studio subsecutus, ad latus comes arrepsit. Mox, ut sentit cupidos sanguinis milites supervenire, amoto domino, rogum exstruit eique senem a se comprehensum et occisum inicit. Interrogantibus deinde militibus ubinam esset Antius, manu in rogum intentata, ibi illum, datis sibi crudelitatis piaculis, uri respondit. Quia verisimilis res erat, habita est voci fides: Antius autem incolumis effugiebat.

168. The Device of Scipio.

Scipio Africae petendae cupidus postquam in Siciliam venit, multos milites voluntarios collegit. Quum ex fortissimis peditibus Romanis trecentorum equitum numerum complere vellet, neque tam subito eos posset instruere, temporis angustiis exclusus, consilio sagaci usus est. Namque ex iis iuvenibus, quos secum ex tota Sicilia nobilissimos sed inermes habebat, trecentos speciosa arma atque electos equos quam celerrime expedire iussit: tanquam eos continuo secum ad oppugnandam Carthaginem aversurus. Gravis ea militia procul domo terra marique multos labores magna pericula allatura videbatur, neque ipsos modo sed parentes cognatosque ea cura angebat. Ubi dies, quae dicta erat, advenit, arma equosque ostenderunt.

169.

Tum Scipio renuntiari sibi dixit quosdam Siculorum equites tanquam gravem et duram horrere eam militiam. Si qui ita animati essent, malle eos iam tum fateri quam postmodo querentes segnes atque inutiles milites reipublicae esse. Ubi ex iis unus ausus est dicere se, si sibi utrum vellet daretur, prorsus nolle militare: tum Scipio ei, "Quoniam igitur, adolescens, quid sentires non dissimulasti, vicarium tibi expediam, cui tu arma equumque et cetera instrumenta militiae tradas, et tecum hinc extemplo domum ducas, exerceas, docendum cures equo armisque." Laeto condicionem accipienti unum ex trecentis, quos inermes habebat, tradit. Quod ubi ceteri viderunt, se quisque excusare et vicarium accipere. Ita a Scipione sine publica impensa trecentis Siculis Romani equites sunt substituti.

170. The Parable of Sertorius.

Sertorius corporis robore atque animi consilio eximius, dux Lusitanorum factus, cum eos oratione flectere non posset, vafro consilio ad suam sententiam perduxit. Duos enim in conspectu eorum constituit equos, alterum validissimum, alterum infirmissimum; ac deinde validi caudam ab imbecillo sene paulatim carpi, infirmi a iuvene eximiarum virium universam convelli iussit. Imperio obtemperatum est. Sed dum adolescentis dextra irrito se labore fatigat, senio confecta manus ministerium exsequitur. Tunc barbarae contioni, quorsum ea res tenderet, cognoscere cupienti, hoc exposuit: "Equi caudae consimilis est noster exercitus, cuius partes quivis aggrediens opprimere potest: universum conatus prosternere, victoriam non tam occupaverit quam tradiderit."

171. THE SKILL OF DEMOSTHENES.

Mirifica Demosthenis ars ancillae cuidam succurrit, quae pecuniam depositam a duobus hospitibus acceperat ea condicione ut illam simul utrisque redderet. Quorum quum alter interiecto tempore, tanquam mortuo socio, squalore obsitus, ab ancilla decepta omnes nummos abstulisset, supervenit alter et depositum petere coepit. Haerebat misera in maxima pecuniae penuria iamque de laqueo et suspendio cogitabat: sed opportune Demosthenes ei patronus aderat, qui, ut auxilio venit, "Mulier," inquit, "parata est depositos nummos solvere: sed, nisi sociam adduxeris, id facere non potest, quoniam haec dicta est lex, ne pecunia alteri sine altero numeretur. Quae quum audiissent iudices, id quod Demosthenes subiecerat iustum esse rati, ancillam absolverunt.

172. THE TREACHERY OF TARQUIN.

Sex. Tarquinius, quum aegre ferret quod patris viribus Gabii non expugnarentur, armis valentiorem excogitavit rationem, qua interceptum illud oppidum Romano imperio adiceret. Inopinatus enim, tanquam parentis saevitiam et verbera fugeret, quae sua sponte perpessus erat, Gabios se contulit: ac paulatim uniuscuiusque benevolentiam fictis et compositis blanditiis adeo consecutus, ut apud omnes plurimum posset, familiarem suum ad patrem misit indicaturum, quemadmodum cuncta in sua manu haberet, et ab eo, quidnam fieri vellet, quaesiturum. Nuntium autem, cui parum fidei haberet, quum nullo dato responso in hortum seduxisset, maxima quaeque et altissima papaverum capita baculo decussit.

173.

Interrogando exspectandoque responsum nuntius fessus, ut re imperfecta, redit Gabios: quae dixerit, quaeque viderit refert: seu ira, seu odio, seu superbia ingenio insita nullam eam vocem emisisse. Sexto ubi, quid vellet parens quidque praeciperet tacitis ambagibus, patuit, primores civitatis criminando alios apud populum, alios sua sponte ipsos invidia opportunos interemit. Multi palam, quidam, in quibus minus speciosa criminatio erat futura, clam interfecti. Patuit quibusdam volentibus fuga, nonnulli in exsilium acti sunt, absentiumque bona iuxta atque interemptorum divisa fuere. Largitiones inde praedaeque: et dulcedine privati commodi sensus malorum publicorum adimitur, donec orba consilio auxilioque Gabina res regi Romano sine ulla dimicatione in manum traditur.

174. The Priest and the Cow.

Bos in Sabinis nata esse cuidam patrifamilias dicitur miranda magnitudine ac specie; et cecinere vates, cuiuscunque urbis civis eam Dianae immolasset, ibi fore imperium; idque carmen pervenerat ad antistitem fani Dianae. Sabinus, ut prima apta dies sacrificio visa est, bovem Romam actam deducit ad fanum Dianae et ante aram statuit. Ibi antistes Romanus, quum eum magnitudo victimae celebrata fama movisset, memor responsi ita Sabinum alloquitur. "Quidnam tu, hospes, paras?" inquit, "vis sacrificium Dianae facere? Quin tu ante vivo perfunderis flumine? infima valle praefluit Tiberis." Religione tactus hospes, quippe qui omnia, ut prodigio responderet eventus, rite facta cuperet, extemplo descendit ad Tiberim: interea Romanus Dianae bovem immolat. Id mire gratum regi atque civitati fuit.

175. The Death of Archimedes.

Captis Syracusis Marcellus machinationibus Archimedis diu victoriam suam inhibitam senserat. Eximia tamen hominis prudentia delectatus, ut capiti illius parceretur, edixit : quia non multo minoris Archimedis salutem quam Syracusarum expugnationem habuit. At dum, animo et oculis in terram defixis, formas describit, militi, qui praedandi gratia in domum irruperat strictoque super caput gladio quisnam esset interrogabat, Archimedes, propter nimiam cupiditatem investigandi, id quod requirebat, nomen suum indicare non potuit; sed protecto manibus pulvere, "Noli," inquit, "istum circulum disturbare." Qui, quod imperium victoris neglegere videbatur, obtruncatus sanguine suo operis sui lineamenta confudit.

176. A Dream Comes True.

Tradunt Aterium Rufum equitem Romanum somnio singulari admonitum esse de rebus futuris : qui, cum gladiatorium munus Syracusis ederetur, in somno retiarii manu se confodi vidit : idque postero die consessoribus narravit. Accidit deinde ut proximo ab Aterio loco retiarius cum mirmillone introduceretur; cuius cum faciem vidisset, dixit idem, ab illo se retiario trucidari putasse, protinusque inde discedere voluit. Illi autem, metu eius sermonibus discusso, causam exitii misero attulerunt. Retiarius enim, in eum locum compulso mirmillone et abiecto, dum iacentem ferire conatur, traiectum gladio Aterium interimit.

177. The Poetry of Euripides.

Euripides poeta sui fiduciam eiusmodi exhibebat, quae, quantum inter modestiam et insolentiam interesset, facile declarare posset. Atheniensibus enim postulantibus ut ex tragoedia quandam sententiam tolleret, progressus in scenam dixit se, ut eos doceret, non ut ab iis disceret, fabulas componere solere. Haud multo post idem Alexidi tragico poetae responsum non indignum dedit. Apud quem quum quereretur Alexis, quod ille triduo non ultra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque ipse se centum perfacile scripsisse gloriaretur; "Sed hoc," inquit Euripides, "interest, quod tui versus in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficient."

178. The Impiety of Daphitas.

Daphitas eius studii erat, quod qui profitentur sophistae vocantur, homo ineptae et mordacis opinationis: itaque hic Apollinem Delphicum irridendi causa consuluit, an equum invenire posset, quum omnino nullum habuisset. Cuius ex oraculo reddita vox est, eum inventurum equum sed ut equo ipso perturbatus periret. Deinde quum iocabundus, quasi delusa sacrarum sortium fide, reverteretur, in regem Attalum, saepenumero a se contumeliosis dictis absentem lacessitum, incidit: cuius iussu saxo, cui nomen erat Equi, praecipitatus, facinoris impii iustas poenas solvisse fertur.

179. Odatis.

In iis provinciis, quae ultra Tanain iacent regnabat Omartes. Cuius filiae Odatidi auctores tradunt

imaginem Zariadrae, qui inter Caspias portas fluviumque Tanain dominabatur, dormienti apparuisse; Zariadrae autem imaginem eodem modo ab Odatide visam esse. Quum imaginem tam pulchram vidisset Zariadra Odatidemque ipsam formosissimam esse audivisset, ad Omartem nuntios misit, qui uxorem sibi Odatidem poscerent. Renuit autem Omartes, quod ipse filiis careret, et cuidam ex suis familiaribus eam collocare decrevisset. Haud ita multo post convocatis regni optimatibus et amicis et cognatis, illi ut viro nuberet imperavit rex, nec tamen cui uxorem daturus esset prius indicavit Quum ergo ferveret temulentia, ad epulas accita Odatide, convivis omnibus auscultantibus, "Nos," inquit Omartes, "nuptias tuas nunc facimus."

180.

"Odati circumspice, auream phialam vini plenam ei, quemcunque maritum optas, tua manu trade: illius esse coniugem te proclamabimus." Patri obsequens filia, etsi Zariadram suum videre maxime cupiebat, omnes contuebatur ac flens circumibat. Zariadra autem, nuntio allato, auriga solo comite, fluvium se traiecerat, et magna celeritate circiter octingenta stadia permensus tandem prope vicum, in quo nuptiae fiebant, accesserat: qui Scythica vestitus stola atque in aulam regium ingressus iam Odatidem suam inter lacrimas morantem conspexit. "Adsum," inquit, "tibi, Odati": quibus dictis quum eum peregrinum esse eundemque similem illi, quem in somnio viderat, intellexisset, phialam in manum dedit. Ille accepit raptamque Odatidem in currum perduxit et sine mora aufugit.

181. A Boy's Cunning.

Mos antea senatoribus Romanis fuit in curiam cum praetextatis filiis introire. Cum patres de re maiore quadam consulerent, eaque in posterum diem prolata esset, placeretque ne quis hanc rem, quam tractavissent, prius enuntiaret quam decreta esset, mater Papirii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, filium percunctatur, quidnam in senatu patres egissent. Puer respondit tacendum esse, neque id dici licere. Mulier facta audiendi cupidior, violentius instabat: tum puer, matre urgente, lepidi atque festivi mendacii consilium cepit. Actum enim in senatu dixit, utrum videretur utilius magisque e republica esse, virum duas uxores habere an mulierem duobus viris esse nuptam. Hoc illa ut audivit, animo timore perculso domo trepidans egreditur: ad ceteras matronas defert quod audierat.

182.

Pervenit ad senatum postero die matrumfamilias caterva: lacrimantes atque obsecrantes orabant, ut potius duobus viris mulier nuberet, quam ut vir duas uxores haberet. Senatores in curiam ingressi, quid illa mulierum intemperies et quid istaec postulatio vellet, mirabantur. Puer autem Papirius in mediam curiam progressus, quid mater audire cupiisset, quid ipse matri respondisset, totam rem, sicuti fuerat, palam denarrat. Patres, pueri fide ingenioque undique collaudato, consultum faciunt, ne posthac pueri cum patribus in curiam praeter illum unum Papirium introeant eique puero propter loquendi tacendique prudentiam cognomen Praetextatus inditum est.

183. Where are you Going?

Rex studiosus iocorum prope pontem, quo flumen multi transibant, omnes, quicunque custodi falsa respondissent, de arbore suspendere constituit. Unumquemque enim viatorem, sive dives sive pauper erat, custos hoc interrogabat, quo iturus esset. Ille autem de omnibus rebus prudens et sagax, utrum falsum an verum respondissent, mox discernere potuit. Quae quum ita sint, viator quidam, cum pontem se traiecisset, custodi illud, ut mos erat, quaerenti respondet se suspensum iri. Itaque alter quid sibi faciendum sit incertus, diu silet: tum, "Equidem," inquit, "dolore afficior: si viatorem suspendero, in eum, ut vere locutum, iniuste animadvertam; sin autem incolumem dimisero, vereor ne ipse, mandatis regiis neglectis, poenam daturus sim." Cui haec reputanti viatorem, dolosa quidem arte usum, absolvere tamen iustius videbatur consilium.

184. Burial of Alaric.

Alii homines aliis sepulturis utuntur. Alaricus, qui Honorio imperatore Romam ceperat, haud multo postea subito morbo confectus in Italia mortuus est. Quem, cum in vita ferocem et audacem se semper praestitisset, haud dissimili funere mortuum comites honestavere. Apud enim Consentiam, Busentino fluvio e solito cursu interrupto spoliisque magnificis in alveo dispositis, sepulcrum tali viro dignum comparatum est. Itaque, cum omnia ad regem sepeliendum iam parata essent, in imo alveo cadaver depositum neque unquam post illud tempus ab hostibus vel ab amicis disiciendum, exsequiis rite consummatis, reliquerunt. Tum servi, qui illud opus inceperant, iidem aquam

in alveum iterum immiserunt: quo facto, ne illum locum tam sacratum ostenderent, promiscua caede ad unum ab immitibus Gotonibus sunt trucidati.

185. Spanish Penance.

Hispani duo, qui pariter multa et nefaria facinora commisissent, rationem, quomodo illa flagitia expiare possent, iamdudum frustra petebant. E quibus uni forte in somnio evenit, ut ad sacrum quoddam templum, pisis in calceos duris impositis, magnum iter conficeret. Quod ubi cum socio communicaverat, ambo in calceos dura et siccata pisa iniecerunt atque eodem itinere mane sunt profecti. Hic maximo labore et mirabili diligentia usus propositum iter nusquam neglexit: sed, dum iratus usque progreditur, medio die tandem fatigatus est. Ille autem non modo hilarem praebebat vultum, sed sine ullo dolore tam celeriter festinavit, ut socium propter aestatis calorem laborantem longe superaret.

186.

Deinde multis diebus exactis alter, cum iam pedibus detritis, maximo affectus dolore, templo, quod petebat, longe abesset, umbrosas inter arbores requiescit: at subito longi itineris haud immemor ad aedem contendit: cui de proposito desperanti alter, qui templum viserat, idemque domum libenter regrediebatur, obviam occurrit. "Heus tu," inquit ille, "quomodo tanta celeritate progressus ire ac redire potes? Equidem adeo fatigatus sum, ut pedes iam detritos vix promovere possim." Respondit alter: "Tu duris usus pisis atque siccatis magnum perpessus es dolorem: ego autem curavi, ne pisa in meos calceos prius imponerem, quam ea decocta emollivissem."

187. Two Ways of Looking at the Same Thing.

Hannibalem Carthaginiensem apud regem Antiochum facetissime cavillatum esse ferunt. Ei enim ostendebat Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus comparaverat: et exercitum insignibus argenteis et aureis florentem convertebat. Currus etiam cum falcibus, elephantos cum turribus, equitatumque frenis praefulgentem inducebat. Ibi rex contemplatione tanti et tam ornati exercitus gloriatus, Hannibalem aspicit et, "Putasne," inquit "conferri posse ac satis esse Romanis haec omnia credis?" Tum Poenus, dum militum eius pretiose armatorum ignaviam et imperitiam eludit, "Satis plane," inquit, "satis esse Romanis haec omnia credo, etiamsi avarissimi sunt." Nihil prorsus neque tam lepide neque tam acerbe dici potest: rex de numero exercitus sui cum Romanis comparando quaesierat, de praeda respondit Hannibal.

188. The Gates of the Temple of Janus.

Templi, quod Romae Iano dedicatum est, fores ter post urbem conditam clausae sunt. Cuius rei haec causa narratur. Bello contra Sabinos orto, Romani portam claudere festinabant, quia in ipsam hostes irruebant. Mox, postquam erat clausa, sponte patefacta est: cum autem iterum ac tertio idem contigisset, plurimi armati pro limine, quia claudere nequibant, custodes steterunt. At cum ex altera urbis parte acerrimo proelio certaretur, subito fama est allata a rege Sabino Romanos fusos. Quam ob causam Romani, qui hunc aditum tuebantur, territi fugerunt: in Sabinos autem per portam patentem irrupturos ex aede

Iani per hanc portam magnam vim torrentium erupisse ferunt, multasque hostium catervas aut ferventi aqua exustas, aut rapida voragine oppressas deperiisse. Ex ea re placitum est, ut aedis fores, per quas auxilio urbis Ianus proficisceretur, civibus Romanis bellum gerentibus reserarentur.

189. Faithful Slaves.

Cum Grumentum obsidione premeretur, servi quinque relicti domina transfugerunt; qui ab hostibus libenter accepti ad Grumentum expugnandum alacres animos exhibere videbantur: hostes igitur edocti, quibus in locis cives, qui eam defenderent, praecipue deficerent, haud multo post Grumentum facile ceperunt. Itaque, dum milites in urbem impetum faciunt, atque incendiis praedaeque operam dant, servi hoc unum curant, ut domum dominamque quam celeriter petant. Ibi cum pervenissent, palam vociferabantur iam tandem sibi copiam datam esse, illam tam crudelem dominam puniendi: cui domo extractae et quasi ad supplicium abreptae gravia minati, secreto omnia amicitiae officia praestabant. Illa enim, quam singularis fidei exemplum servi exhibuissent, in salutem deducta et periculis liberata, plane intellexit.

190. An Augury.

Aesopus servus dominum Xanthum oravit ut se in libertatem vindicaret. Cui Xanthus respondit "Id facere nolo: sed tu e domo egressus speculare; ac si duas cornices videris, fac ut hoc mihi renunties, bonum enim augurium; sin autem unam videris, erit malum." Cum autem exiisset

Aesopus et duas cornices forte in arbore sedentes vidisset, Xantho, ut imperatum erat, id renuntiavit. Exeunte autem Xantho, altera ex his evolavit: qui, altera sola visa, ait "Nonne mihi dixisti, scelus, te duas vidisse?" "Immo vero," respondit Aesopus, "at altera evolavit." Iubet igitur Xanthus eum, ut mendacem, denudatum verberari. At dum verberatur, amico, qui iam accesserat, Xanthum ad cenam invitante, inter verbera exclamavit Aesopus; "Hei mihi misero; ego enim, qui duas vidi cornices, verberor; tu autem, qui unam tantum, in convivium abis: vanum sane et falsum evenit augurium." Xanthus autem sollertiam eius admiratus iubet verberantes plagis desistere.

191. The Destruction of Rome.

Honorius, inclinante Romana potestate, imperator factus est. Hic autem summo loco minime dignus non modo omnia munia non obibat, sed inanibus rebus se devovebat: cum enim puer equitare, arcum intendere, alioque virili labore uti primo didicisset, adolescens his omnibus relictis gallinariis ceterisque rebus huiuscemodi penitus est deditus. Principatu quindecim annos ita negligenter functus, subito nuntium, qui res afferret, ad palatium adfuisse certior factus est: quem maximum inter tumultum iussit statim adduci. Nuntius, magno affectus dolore atque itinere continuo defatigatus, "Romam periisse" sine mora denuntiavit. Honorius autem his dictis lacrimas copiose effudit: putabat enim gallinam Romam vocatam eandemque carissimam periisse. Sed plura sciscitatus, non illam gallinam esse mortuam, sed Romam urbem a Gotonibus captam intellexit: itaque dolore remoto rursus hilarem vultum moresque solitos recepit.

192. Buried Alive.

Tum temporis Anastasius, vir genere haud ignobili, avitas possessiones, ut mos apud Gallos est, retinere maximo studio cupiebat. At Cautinus, qui alienis divitiis avarius inhiabat, Anastasium primo blande et suppliciter rogabat, deinde gravia minatus eidem imperavit ut hanc possessionem sibi concederet; quod nisi dedisset, eum iniuriis affici et fame necari se iussurum esse promisit. Ille autem, quum virili animo repugnaret neque id amittere vellet, Cautino respondit satius sibi ad tempus inedia putrescere, quam sobolem suam in posterum miseram dereliquisse. Tum iussu Cautini custodibus traditus est, ut, nisi eius voluntati obsecuturus esset, fame necaretur. Erat enim crypta antiqua et abdita, ubi erat sepulcrum magnum e marmore Pario constructum, in quo grandaevi cuiusdam hominis corpus positum videbatur.

193.

In hoc sepulcrum super sepultum Anastasium vivum ita immittunt, ut lapide operiatur, et ad ostia custodes constituunt; qui igne accenso, ut graviorem hiemis vim sustineant, vino sopiti calido obdormiunt. Quid plura? Manu dextra extrusa, vectem divinitus repertum paulatim ita commovebat, ut lapidem superiectum amoveret. Deinde ubi ita remotus fuit, ut caput foras Anastasius educeret, maiorem, per quem totus egrederetur, exitum liberius patefecit; et, cum iam advesperasceret, ad aliud cryptae ostium accessit, quod claustris validis non adeo erat obstrictum, ut inter tabulas prospicere homo nequiret. Ad hunc aditum

capite apposito, viatorem praetereuntem voce usus exigua ad se vocat. Nec mora: viator sudes ligneas, quibus claustra continebantur, securi incidit; exituque patefacto cum eo domum incolumis Anastasius regressus est.

194. Cleopatra's Wager.

Cum M. Antonius, quidquid mari aut terra aut etiam aere gigneretur, ad satiandam ingluviem suam natum existimaret, Cleopatra, quae vinci a Romanis etiam luxuria indignum arbitrabatur, per sponsionem est professa se in unam cenam sestertium centiens insumere posse. Id Antonio mirum visum: nec moratus facta sponsione contendit ad Munatium Plancum, qui tam honesti certaminis arbiter eligeretur. Postridie Cleopatra, ut Antonium pertentaret, sumptuosam sane cenam paravit, sed quam non miraretur Antonius: quippe qui omnia, quae apponebantur, esse e quotidianis opibus agnosceret. Tum regina arridens phialam poposcit, in quam aceti nonnihil acris infudit atque item unionem ex aure altera demptum demisit: quem mature dissolutum, ut ei natura est, absorbuit. Quo facto, manum ad alteram aurem pariter admovisset, nisi Numantius Plancus arbiter superatum Antonium sine mora pronuntiasset.

195. The Sweets of Freedom.

Cani perpasto macie confectus lupus
Forte occucurrit: dein salutans, invicem
Ut restiterunt: "Unde sic, quaeso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Ego qui sum longe fortior pereo fame."

Canis simpliciter: "Eadem est condicio tibi,
Praestare domino si par officium potes."
"Quod?" inquit ille. "Custos ut sis liminis,
A furibus tuearis, et noctu, domum."
"Ego vero sum paratus: nunc patior nives
Imbresque, in silvis asperam vitam trahens.
Quanto est facilius mihi sub tecto vivere,
Et otiosum largo satiari cibo."
"Veni ergo mecum."

196.

Dum procedunt, aspicit
Lupus a catena collum detritum cani.
"Unde hoc, amice?" "Nihil est." "Dic, quaeso, tamen."
"Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quiescam, et vigilem, nox cum venerit:
Crepusculo solutus, qua visum est, vagor.
Affertur ultro panis; de mensa sua
Dat ossa dominus; frusta iactat familia,
Et quod fastidit quisque pulmentarium.
Sic sine labore venter impletur meus."
"Age, si quo abire est animus, est licentia?"
"Non plane est," inquit. "Fruere quae laudas, Canis.
Regnare nolo, liber ut non sim mihi."

197. A Famous Pair of Dogs.

Indiam petenti Alexandro Magno rex Albaniae dono dederat inusitatae magnitudinis canem, cuius specie delectatus iussit ursos, mox apros, et deinde damas emitti. E

quibus cum ne unum quidem canis vellet consequi, segnitia tanti corporis offensus Alexander interimi eum iussit. Nuntiavit hoc fama regi: itaque alterum mittens addidit mandata, ne in parvis experiri vellet, sed in leone elephantove; duos sibi fuisse, hoc interempto praeterea nullum fore. Neque id distulit Alexander leonemque fractum protinus vidit. Postea elephantum iussit induci, haud alio magis spectaculo laetatus: horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primum latratu, intonuit canis moxque hinc et illinc assultavit, donec belluam assidua rotatam vertigine afflixit: itaque elephas, tellure ad casum concussa, prolapsus est.

198. Nulla Dies Sine Linia.

Protogenes Rhodi vivebat, quo quum Apelles annavigasset avidus cognoscendi opera eius fama tantum sibi cogniti, continuo officinam petiit. Aberat ipse, sed tabulam amplae magnitudinis in machina aptatam una custodiebat anus; haec foris esse Protogenen respondit interrogavitque a quo quaesitum diceret; "ab hoc" inquit Apelles, arreptoque penicillo liniam ex colore duxit summae tenuitatis per tabulam; et reverso Protogeni, quae gesta erant, anus indicavit. Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem dixisse Apellen venisse, ipsumque alio colore tenuiorem liniam in ipsa illa duxisse abeuntemque praecepisse, si redisset ille, ostenderet adiceretque hunc esse quem quaereret; atque ita evenit; revertit enim Apelles et tertio colore linias ita secuit ut nullum amplius subtilitati locum reliquerit.

199. Ovid is Banished from Rome.

Cum subit illius tristissima noctis imago,
Quae mihi supremum tempus in Urbe fuit.
Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,
Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
Iam prope lux aderat, qua me discedere Caesar
Finibus extremae iusserat Ausoniae.
Non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus
Vivit et est vitae nescius ipse suae.
Ut tamen hanc animo nubem dolor ipse removit;
Et tandem sensus convaluere mei;
Alloquor extremum maestos abiturus amicos
Qui modo de multis unus et alter erant.

200. Gauls Attack Caesar's Camp.

Caesar idoneum locum nactus, quid quaque ex parte geratur, cognoscit: laborantibus auxilium submittit. Utrisque ad animum occurrit, unum illud esse tempus quo maxime contendi conveniat: Galli, nisi perfregerint munitiones, de omni salute desperant; Romani, si rem obtinuerint, finem laborum omnium exspectant. Maxime ad superiores munitiones laboratur: alii tela coniciunt, alii testudine facta subeunt; defatigatis in vicem integri succedunt. Agger ab universis in munitionem coniectus et ascensum dat Gallis, et ea, quae in terra occultaverant Romani, contegit; nec iam arma nostris nec vires suppetunt. His rebus cognitis Caesar Labienum cum cohortibus sex subsidio laborantibus mittit: imperat, si sustinere non possit, deductis cohortibus, eruptione pugnaret; id nisi necessario, ne faciat.

201.

Caesar adit reliquos; cohortatur ne labori succumbant; omnium superiorum dimicationum fructum in eo die atque hora docet consistere. Galli, desperatis campestribus locis propter magnitudinem munitionum, loca praerupta ex ascensu tentant. Huc ea, quae paraverant, conferunt; multitudine telorum ex turribus propugnantes deturbant; aggere et cratibus fossas explent, aditus expediunt; falcibus vallum ac loricam rescindunt. Mittit primo Brutum adolescentem cum cohortibus Caesar, post cum aliis C. Fabium legatum; postremo ipse, cum vehementius pugnaretur, integros subsidio adducit. Restituto proelio ac repulsis hostibus, eo, quo Labienum miserat, contendit; cohortes quattuor ex proximo castello deducit, equitum partem sequi, partem circumire exteriores munitiones, et ab tergo hostes adoriri iubet.

202.

Labienus, postquam neque aggeres neque fossae vim hostium sustinere poterant, coactis undequadraginta cohortibus, quas ex proximis praesidiis deductas fors obtulit, Caesarem per nuntios facit certiorem, quid faciendum existimet. Accelerat Caesar, ut proelio intersit. Eius adventu ex colore vestitus cognito, quo insigni in proeliis uti consuerat, turmisque equitum et cohortibus visis, quas se sequi iusserat, ut de locis superioribus haec declivia et devexa cernebantur, nostri proelium committunt. Utrinque clamore sublato, excipit rursus ex vallo atque omnibus munitionibus clamor. Nostri omissis pilis gladiis rem gerunt. Repente post tergum equitatus cernitur; cohortes

aliae appropinquant. Hostes terga verterunt; fugientibus equites occurrunt: fit magna caedes.

203. The Golden Age.

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebant.
Poena metusque aberant: nec verba minacia fixo
Aere legebantur: nec supplex turba timebant
Iudicis ora sui: sed erant sine vindice tuti.
Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus in liquidas pinus descenderat undas:
Nullaque mortales, praeter sua, litora norant.
Nondum praecipites cingebant oppida fossae:
Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
Non galeae, non ensis, erant: sine militis usu
Mollia securae peragebant otia gentes.

204. Lake Trasimene.

Inter Romanos Poenosque tres ferme horas pugnatum est et ubique atrociter. Circa consulem tamen acrior infestiorque pugna est: eum et robora virorum sequebantur et ipse quacunque in parte premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem: insignemque armis et hostes summa vi petebant et tuebantur cives, donec Insuber eques—Ducario nomen erat—facie quoque noscitans consulem "En," inquit, "hic est," popularibus suis, "qui legiones nostras cecidit agrosque et urbem est depopulatus! iam ego hanc victimam Manibus peremptorum foede civium dabo:" subditisque calcaribus equo per confertissimam hostium turbam impetum facit obtruncatoque prius armigero, qui se infesto venienti obviam obiecerat, consulem lancea transfixit.

205.

Magnae partis fuga inde primum coepit: et iam nec lacus nec montes pavori obstabant: per omnia arcta praeruptaque velut coeci evadunt, armaque et viri super alium alii praecipitantur. Pars magna, ubi locus fugae deest, per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus humerisque exstare possunt, sese immergunt: fuere, quos inconsultus pavor nando etiam capessere fugam impulerit; ii aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus, aut nequicquam fessi vada retro aegerrime repetebant, atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur. Sex milia ferme primi agminis per adversos hostes eruptione impigre facta ignari omnium, quae post se agerentur, ex saltu evasere.

206. The Fate of Daedalus and his Wings.

Monte minor collis, campis erat altior aequis:
  Hinc data sunt miserae corpora bina fugae.
Et movet ipse suas et nati respicit alas
  Daedalus: et cursus sustinet usque suos.
Iamque novum delectat iter, positoque timore
  Icarus audaci fortius arte volat.
Cum puer, incautis nimium temerarius ausis
  Altius egit iter, deseruitque ducem.
Vincla labant, et cera deo propiore liquescit:
  Nec tenues ventos brachia mota tenent.

207.

Territus e summo despexit in aequore caelo:
Nox oculis pavido venit oborta metu:
Tabuerant cerae: nudos quatit ille lacertos,
Et trepidat, nec, quo sustineatur, habet.
Decidit atque cadens, "Pater, O pater, auferor," inquit,
Clauserunt virides ora loquentis aquae.
At pater infelix, nec iam pater, "Icare," clamat,
"Icare," clamat, "ubi es? quove sub axe volas?"
"Icare," clamabat: pennas aspexit in undis:
Ossa tegit tellus; aequora nomen habent.

208. The News of Trasimene at Rome.

Romae ad primum nuntium cladis eius cum ingenti terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus: matronae vagae per vias, quae repens clades allata quaeve fortuna exercitus esset, obvios percunctatur; tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius praetor "Pugna," inquit, "magna victi sumus:" et quanquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus referunt, consulem cum magna parte copiarum caesum, superesse paucos aut fuga passim per Etruriam sparsos aut captos ab hoste. Senatum praetores per dies aliquot ab orto usque ad occidentem solem in curia retinent, consultantes, quonam duce aut copiis quibus resisti victoribus Poenis posset.

209. Hannibal on the Alps.

Tandem nequicquam iumentis atque hominibus fatigatis castra in iugo posita, aegerrime ad id ipsum loco purgato, tantum nivis fodiendum atque egerendum fuit. Inde ad rupem muniendam, per quam unam via esse poterat, milites ducti, cum caedendum esset saxum, arboribus circa immanibus deiectis detruncatisque struem ingentem lignorum faciunt, eamque, cum et vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Itaque torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non iumenta solum sed elephanti etiam deduci possent. Quadriduum circa rupem consumptum iumentis prope fame absumptis; nuda enim fere cacumina sunt et, si quid est pabuli, obruunt nives.

210. Poetry Lasts for Ever.

Ergo cum silices, cum dens patientis aratri,
  Depereant aevo, carmina nocte carent.
Cedant carminibus reges, regumque triumphi,
  Cedat et auriferi ripa beata Tagi.
Vilia miretur vulgus. Mihi flavus Apollo
  Pocula Castaliae plena ministret aquae:
Sustineamque coma metuentem frigora myrtum:
  Atque a sollicito multus amante legar.
Pascitur in vivis Livor: post fata quiescit,
  Cum suus ex merito quemque tuetur honor.
Ergo etiam, cum me supremus adederit ignis,
  Vivam, parsque mei multa superstes erit.

211. A Siege.

Mitescente iam hieme educto ex hibernis milite Casilinum Hannibal redit: ubi, quanquam ab oppugnatione cessatum erat, obsidio tamen continua oppidanos praesidiumque ad ultimum inopiae adduxerat. Quod aegre patiens Tib. Sempronius Gracchus qui castris Romanis praeerat, farre ex agris circa undique convecto, quum complura dolia complesset, nuntium ad magistratum Casilinum misit, ut exciperent dolia quae amnis deferret. Insequenti nocte intentis omnibus in flumen ac spem ab nuntio Romano factam, dolia medio missa amni defluxerunt, aequaliterque inter omnes frumentum divisum. Id postero quoque die ac tertio factum est: nocte et mittebantur et perveniebant, eo custodias hostium fallebant.

212.

Imbribus deinde continuis citatior solito amnis transverso vertice dolia impulit ad ripam quam hostes servabant; ibi haerentia inter obnata ripis salicta conspiciuntur nuntiatumque Hannibali est, et deinde intentiore custodia cautum ne quid falleret in amni Vulturno ad urbem missum. Nuces tamen fusae ab Romanis castris, quum medio amni ad Casilinum defluerent, cratibus excipiebantur. Postremo ad id ventum inopiae est, ut lora detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere conarentur. Nec muribus aliove animali abstinerent et omne herbarum radicumque genus aggeribus infimis muri eruerent.

213.

Cum hostes obarassent quidquid herbidae terrae extra murum erat, raporum semen iniecerunt, ut Hannibal "Eone usque, dum ea nascuntur, ad Casilinum sessurus sum?" exclamaret, et, qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum est passus de redemptione liberorum capitum. Septunces auri in singulos pretium convenit: fide accepta tradiderunt sese: donec omne aurum persolutum est, in vinculis habiti, tum remissi Cannas cum fide. Casilinum oppidum redditum Campanis est, firmatum septingentorum militum de exercitu Hannibalis praesidio, ne, ubi Poenus inde abscessisset, Romani oppugnarent.

214. Nuts.

Nux ego iuncta viae, cum sim sine crimine vitae,
  A populo saxis praetereunte petor.
Obruere ista solet manifestos poena nocentes,
  Publica cum lentam non capit ira moram.
Nil ego peccavi: nisi si peccasse vocatur,
  Annua cultori poma referre suo.
At prius arboribus tum, cum meliora fuere
  Tempora, certamen fertilitatis erat:
Cum domini memores sertis ornare solebant
  Agricolas, fructu proveniente, deos.
Saepe suas igitur, Liber, miratus es uvas:
  Mirata est oleas saepe Minerva suas.

215. Second Invasion of Britain.

Caesar noctu progressus millia passuum circiter duodecim hostium copias conspicatus est. Illi equitatu atque essedis ad flumen progressi ex loco superiore nostros prohibere, et proelium committere coeperunt. Repulsi ab equitatu se in silvas abdiderunt, locum nacti egregie et natura et opere munitum, quem domestici belli, ut videbatur, causa iam ante praeparaverant; nam crebris arboribus succisis omnes introitus erant praeclusi. Ipsi ex silvis rari propugnabant, nostrosque intra munitiones ingredi prohibebant. At milites legionis septimae, testudine facta et aggere ad munitiones adiecto, locum ceperunt, eosque ex silvis expulerunt, paucis vulneribus acceptis. Sed eos fugientes longius Caesar prosequi vetuit, et quod loci naturam ignorabat, et quod, magna parte diei consumpta, munitioni castrorum tempus relinqui volebat.

216.

Postridie eius diei mane tripertito milites equitesque in expeditionem misit, ut eos qui fugerant persequerentur. His aliquantum itineris progressis, cum iam extremi essent in prospectu, equites a Q. Atrio ad Caesarem venerunt, qui nuntiarent superiore nocte maxima coorta tempestate prope omnes naves afflictas atque in litore eiectas esse, quod neque ancorae funesque subsisterent, neque nautae gubernatoresque vim tempestatis pati possent; itaque ex eo concursu navium magnum esse incommodum acceptum. His rebus cognitis, Caesar legiones equitatumque revocari atque itinere desistere iubet, ipse ad naves revertitur: eadem fere, quae ex nuntiis litterisque cognoverat, coram perspicit, sic ut, amissis circiter quadraginta navibus, reliquae tamen refici posse magno negotio viderentur.

217.

Itaque ex legionibus fabros deligit, et ex continenti alios arcessi iubet; Labieno scribit, ut quam plurimas posset, iis legionibus, quae sunt apud eum, naves instituat. Ipse, etsi res erat multae operae ac laboris, tamen commodissimum esse statuit omnes naves subduci et cum castris una munitione coniungi. In his rebus circiter dies decem consumit, ne nocturnis quidem temporibus ad laborem militum intermissis. Subductis navibus castrisque egregie munitis, easdem copias, quas ante, praesidio navibus reliquit: ipse eodem, unde redierat, proficiscitur. Eo cum venisset, maiores iam undique in eum locum copiae Britannorum convenerant; summa imperii bellique administrandi communi consilio permissa Casivellauno: quem nostro adventu permoti Britanni toti bello imperioque praefecerant.

218. Aeneas.

Iamque rubescebat radiis mare, et aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Cum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus et in lento luctantur marmore tonsae.
Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno,
Verticibus rapidis, et multa flavus arena,
In mare prorumpit. Variae circumque supraque
Assuetae ripis volucres et fluminis alveo
Aethera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis terraeque advertere proras
Imperat, et laetus fluvio succedit opaco.

219. Wives and Husbands.

Omnia experti Galli, quod res nulla successerat, postero die consilium ceperunt ex oppido profugere, hortante et iubente Vercingetorige. Id silentio noctis conati non magna iactura suorum sese effecturos sperabant, propterea quod neque longe ab oppido castra Vercingetorigis aberant, et palus, quae perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat. Iamque hoc facere noctu apparabant, cum matresfamiliae repente in publicum procurrerunt, flentesque proiectae ad pedes suorum omnibus precibus petierunt, ne se et communes liberos hostibus ad supplicium dederent, quos ad capiendam fugam naturae et virium infirmitas impediret. Ubi eos in sententia perstare viderunt, quod plerumque in summo periculo timor misericordiam non recipit, conclamare et significare de fuga Romanis coeperunt. Quo timore perterriti Galli consilio destiterunt.

220. Sleep.

Omnia, quae sensu volvuntur vota diurno,
    Pectore sopito reddit amica quies:
Venator defessa toro cum membra reponit,
    Mens tamen ad silvas et sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigae somnia currus,
    Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans: permutat navita merces:
    Et vigil elapsas quaerit avarus opes.
Blandaque largitur frustra sitientibus aegris
    Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
    Artibus assuetis sollicitare solet.

221. The Passage of the Thames.

Caesar ad flumen Tamesim in fines Casivellauni exercitum duxit; quod flumen uno omnino loco pedibus atque hoc aegre transiri potest. Eo cum venisset, animum advertit ad alteram fluminis ripam magnas esse copias hostium instructas. Ripa autem erat acutis sudibus praefixisque munita, eiusdemque generis sub aqua defixae sudes flumine tegebantur. His rebus cognitis a captivis perfugisque, Caesar, praemisso equitatu, confestim legiones subsequi iussit. Sed ea celeritate atque eo impetu milites ierunt, cum capite solo ex aqua exstarent, ut hostes impetum legionum atque equitum sustinere non possent, ripasque dimitterent ac se fugae mandarent. Casivellaunus, omni deposita spe contentionis, dimissis amplioribus copiis, millibus circiter quattuor essedariorum relictis, itinera nostra servabat, paulumque ex via excedebat, locisque impeditis ac silvestribus sese occultabat.

222. Voyages of Discovery.

Inventa secuit qui primus nave profundum
  Et rudibus remis sollicitavit aquas;
Qui dubiis ausus committere flatibus alnum,
  Quas natura negat, praebuit arte vias;
Tranquillis primum trepidus se credidit undis,
  Litora securo tramite summa legens:
Mox longos tentare sinus et linquere terras,
  Et leni coepit pandere vela Noto.
Ast ubi paulatim praeceps audacia crevit
  Cordaque languentem dedidicere metum;
Iam vagus exsultat pelago, caelumque secutus
  Aegaeas hiemes Ioniasque domat.

223. The Trick of the Besieged.

Ubi Aduatici moveri et appropinquare moenibus viderunt, nova atque inusitata specie commoti, legatos ad Caesarem de pace miserunt. Ad haec Caesar respondit: se magis consuetudine sua, quam merito eorum, civitatem conservaturum, si prius quam murum aries attigisset se dedidissent: sed deditionis nullam esse condicionem nisi armis traditis. Re nuntiata ad suos, quae imperarentur, facere dixerunt. Armorum magna multitudine de muro in fossam, quae erat ante oppidum, iacta, sic ut prope summam muri aggerisque altitudinem acervi armorum adaequarent, et tamen circiter parte tertia, ut postea perspectum est, celata atque in oppido retenta, portis patefactis, eo die pace sunt usi. Sub vesperum Caesar portas claudi militesque ex oppido exire iussit, ne quam noctu oppidani ab militibus iniuriam acciperent.

224.

Illi ante inito, ut intellectum est, consilio, quod, deditione facta, nostros praesidia deducturos aut denique indiligentius servaturos crediderant, partim cum his, quae retinuerant et celaverant, armis, partim scutis ex cortice factis aut viminibus intextis, quae subito, ut temporis exiguitas postulabat, pellibus induxerant, tertia vigilia, qua minime arduus ad nostras munitiones ascensus videbatur, omnibus copiis repentino ex oppido eruptionem fecerunt. Celeriter, ut ante Caesar imperarat, ignibus significatione facta, ex proximis castellis eo concursum est; pugnatumque ab hostibus ita acriter est, ut a viris fortibus in extrema spe salutis, iniquo loco, contra eos, qui ex vallo turribusque tela iacerent, pugnari debuit, cum in una virtute omnis spes salutis consisteret. Occisis hominum millibus quattuor, reliqui in oppidum reiecti sunt.

225. Rain.

Postremo, pereunt imbres, ubi eos pater Aether
In gremium matris Terrai praecipitavit:
At nitidae surgunt fruges, ramique virescunt
Arboribus; crescunt ipsae fetuque gravantur.
Hinc alitur porro nostrum genus atque ferarum:
Hinc laetas urbes puerum florere videmus,
Frondiferasque novis avibus canere undique silvas:
Hinc fessae pecudes pingues per pabula laeta
Corpora deponunt et candens lacteus humor
Uberibus manat distentis: hinc nova proles
Artubus infirmis teneras lasciva per herbas
Ludit, lacte mero mentes perculsa novellas.

226. Caesar Lands in Britain.

Barbari, concilio Romanorum cognito, praemisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt, reliquis copiis subsecuti nostros navibus egredi prohibebant. Erat ob has causas summa difficultas, quod naves propter magnitudinem, nisi in alto, constitui non poterant; militibus autem, ignotis locis, impeditis manibus, magno et gravi onere armorum oppressis, simul et de navibus desiliendum et in fluctibus consistendum et cum hostibus erat pugnandum; cum illi, aut ex arido aut paulum in aquam progressi, omnibus membris expeditis, notissimis locis, audacter tela conicerent et equos insuefactos incitarent. Quibus rebus nostri perterriti, atque huius omnino generis pugnae imperiti, non eadem alacritate ac studio, quo in pedestribus uti proeliis consuerant, nitebantur.

227.

Quod ubi Caesar animadvertit, naves longas, quarum et species erat barbaris inusitatior et motus ad usum expeditior, paulum removeri ab onerariis navibus et remis incitari et ad latus apertum hostium constitui, atque inde fundis, sagittis, tormentis hostes propelli ac summoveri iussit: quae res magno usui nostris fuit. Nam et navium figura et remorum motu et inusitato genere tormentorum permoti, barbari constiterunt ac paulum modo pedem retulerunt. Atque nostris militibus cunctantibus maxime propter altitudinem maris, qui decimae legionis aquilam ferebat, contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret, "Desilite," inquit, "commilitones, nisi vultis aquilam hostibus prodere: ego certe meum reipublicae atque imperatori officium praestitero." Hoc cum voce magna dixisset, se ex navi proiecit.

228. Contentment.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
   Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
   Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vitae traducat inerti,
   Dum meus assiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
   Rusticus et facili grandia poma manu.
Nec spes destituat: sed frugum semper acervos
   Praebeat et pleno pinguia musta lacu.
Nam quodcunque mihi pomum novus educat annus,
   Libatum agricolae ponitur ante deo.

229. Caesar and the Swiss.

Helvetii cum omnibus suis carris secuti impedimenta in unum locum contulerunt; ipsi confertissima acie, reiecto nostro equitatu, phalange facta, sub primam nostram aciem successerunt. Caesar primum suo, deinde omnium ex conspectu remotis equis, ut aequato omnium periculo spem fugae tolleret, cohortatus suos proelium commisit. Milites e loco superiore pilis missis facile hostium phalangem perfregerunt. Ea disiecta, gladiis destrictis in eos impetum fecerunt. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod pluribus eorum scutis uno ictu pilorum transfixis et colligatis, cum ferrum se inflexisset, neque evellere neque sinistra impedita satis commode pugnare poterant; multi ut diu iactato brachio praeoptarent scutum manu emittere et nudo corpore pugnare. Tandem vulneribus defessi et pedem referre, et, quod mons suberat circiter mille passuum, eo se recipere coeperunt.

230. The Cobbler Turned Doctor.

Malus cum sutor, inopia deperditus,
Medicinam ignoto facere coepisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine;
Verbosis acquisivit sibi famam strophis.
Hic cum jaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, eius experiendi gratia
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua
Antidoto miscere illius se toxicum,
Combibere iussit ipsum posito praemio.
Timore mortis ille tum confessus est,
Non artis ulla medicae se prudentia,
Verum stupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata contione haec edidit:

Quantae putatis esse vos dementiae,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes.

231. The Siege of Salonae.

Est oppidum et loci natura et colle munitum. Sed celeriter cives Romani, ligneis effectis turribus, his sese munierunt: et, cum essent infirmi ad resistendum propter paucitatem hominum, crebris confecti vulneribus, ad extremum auxilium descenderunt, servosque omnes puberes liberaverunt et praesectis mulierum crinibus tormenta effecerunt. Quorum cognita sententia, Octavius quinis castris oppidum circumdedit, atque uno tempore obsidione et oppugnationibus eos premere coepit. Illi omnia perpeti parati, maxime a re frumentaria laborabant. Longo interposito spatio, cum diuturnitas oppugnationis negligentiores Octavianos effecisset, in proxima Octavii castra irruperunt. His expugnatis eodem impetu altera sunt adorti, inde tertia et quarta et deinceps reliqua: hic fuit oppugnationis exitus.

232. The Origin of War.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
  Quam ferus et vere ferreus ille fuit!
Tunc caedes hominum generi, tunc proelia nata:
  Tum brevior dirae mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
  Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
  Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat: somnumque petebat
  Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
  Arma nec audissem corde micante tubam!

APPENDIX

CONVERSATIONS FROM ERASMUS

The Returning Warrior.

(*Hanno, Thrasymachus.*)

Ha. Unde redis nobis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras nobis?

Th. Quos Vulcanos aut quos Mercurios mihi narras?

Ha. Quia alatus videbare quum abires, nunc claudicas.

Th. Sic a bello rediri solet.

Ha. Quid tibi cum bello, homo quovis dama fugacior?

Th. Spes praedae reddiderat fortem.

Ha. Multum igitur refers manubiarum?

Th. Immo zonam inanem.

Ha. Tanto minus gravare sarcina.

Th. Atqui sceleribus onustus redeo.

Ha. Gravis perfecto sarcina, si verum dicit Propheta, qui peccatum appellat plumbum.

Th. Plus illic scelerum et vidi, et patravi, quam unquam antehac in omni vita.

Ha. Ecquid igitur arridet vita militaris?

Th. Nihil neque scelestius, neque calamitosius.

Ha. Quid igitur in mentem venit istis, qui nummo con-

ducti, nonnulli gratis, currunt ad bellum, non aliter quam ad convivium?

Th. Ego nihil aliud coniectare possim, quam illos agi malis furiis, seseque totos malo daemoni ac miseriae devovisse.

Ha. Ita quidem videtur. Nam ad res honestas vix ullo pretio conduci queunt. Sed expone nobis, quomodo gestum sit proelium, et utro sese inclinarit victoria.

Th. Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuum tonitrua, hinnitus equorum, clamor virorum, ut neque videre potuerim, quid gereretur adeo ut vix scirem ubi essem ipse.

Ha. Unde igitur ceteri, qui ex bello veniunt, sic depingunt singula, quid quisque dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent otiosi spectatores?

Th. Ego credo, istos mentiri splendide. In tentorio meo quid gestum sit, scio: quid in proelio, prorsus ignoro.

Ha. An ne hoc quidem scis, unde tibi venerit claudicatio?

Th. Vix, ita me Mavors posthac male amet: suspicor aut saxo, aut equi calce laesum genu.

Ha. At ego scio.

Th. Scis? an tibi narravit aliquis?

Ha. Non, sed divino.

Th. Dic igitur.

Ha. Quum fugeres pavidus, collapsus humi offendisti in silicem.

Th. Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Adeo verisimile est, quoad divinasti.

Ha. Abi domum, et uxori narra tuas victorias.

A Half Holiday.

(*Nicolaus, Hieronymus, Cocles, Paedagogus.*)

Ni. Iamdudum et animus, et caelum, et dies invitat ad ludendum.

Hi. Invitant quidem haec omnia, sed solus praeceptor non invitat.

Ni. Subornandus orator quispiam, qui veniam extorqueat.

Hi. Apte quidem dictum, extorqueat. Nam citius clavam extorseris e manu Herculis, quam ab hoc ludendi veniam. At olim illo nemo fuit ludendi avidior.

Ni. Verum; sed iam olim ille oblitus est, se fuisse puerum. Ad verbera facillimus est et liberalis: hic parcissimus, idemque difficillimus.

Hi. Attamen protrudendus est aliquis legatus, non admodum verecundae frontis, quem non illico protelet suis saevis dictis.

Ni. Eat, qui volet: ego carere malo, quam rogare.

Hi. Nemo magis accommodus ad hanc legationem, quam Cocles.

Ni. Nemo profecto. Nam perfrictae frontis est, ac bene linguax. Deinde sensum hominis pulchre callet.

Hi. I, Cocles, ab omnibus nobis magnum initurus gratiam.

Co. Equidem experiar sedulo. Verum si non successerit, ne conferte culpam in oratorem vestrum.

Hi. Bene ominare: si te satis novimus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator.

Co. Eo. Bene fortunet legationem meam Mercurius. Salve praeceptor.

Pae. Quid sibi vult nugamentum hominis?

Co. Salve praeceptor observande.

Pae. Insidiosa civilitas. Satis iam salveo. Dic quid velis.

Co. Totus discipulorum tuorum grex orat ludendi veniam.

Pae. Nihil aliud quam luditis, etiam absque venia.

Co. Scit tua prudentia, vigorem ingeniorum excitari moderato lusu, quemadmodum nos docuisti ex Quintiliano.

Pae. Sane ut istuc tenes, quoad pro te facit. Laxamento opus est iis, qui vehementer laborant: vobis, qui segniter studetis, et acriter luditis, fraeno magis opus est, quam laxatis habenis.

Co. Adnitimur pro viribus. Et si quid hactenus cessatum est, post diligentia sarcietur.

Pae. Oh sartores! Quis erit fideiussor aut sponsor, istuc futurum?

Co. Ego capitis mei periculo non dubitem esse sponsor.

Pae. Scio, quam non sit tutum tibi credere; tamen hic periculum faciam, quam sis bonae fidei. Si dederis verba, posthac nequicquam mecum egeris. Ludant, sed gregatim in campis. Mature se recipiant domum ante solis occubitum.

Co. Fiet. Exoravi, quamquam aegre.

Hi. O lepidum caput! omnes amamus te plurimum.

Co. Sed interim cavendum, ne quid peccemus; alioqui de meo tergo dependendum foret. Fideiussi vestro omnium nomine. Quod si quid accidat, non est, quod me posthac utamini legato.

Hi. Cavebitur. Sed quod lusus genus potissimum placet?

Co. De hoc in campo consultabimus.

Going to School.

(*Sylvius, Ioannes.*)

Sy. Cur adeo curris, Ioannes?

Io. Cur lepus, ut aiunt, pro canibus?

Sy. Quid hoc proverbii est?

Io. Quia nisi adfuero in tempore ante recitatum catalogum, actum est de pelle mea.

Sy. Hac quidem ex parte nihil est periculi. Modo praeterita est quinta. Inspice horologium, manus nondum attigit punctum, quod horam ab hora aequis spatiis dirimit.

Io. At ego vix habeo fidem horologiis; mentiuntur nonnunquam.

Sy. At mihi fide, qui campanae vocem audivi.

Io. Quid loquebatur?

Sy. Horam esse quintam.

Io. Sed est et aliud, unde magis etiam timeam. Reddenda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor ut possim.

Sy. Commune periculum narras. Nam et ipse vix satis teneo.

Io. Et nosti praeceptoris saevitiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec magis parcit nobis quam si corium esset bubulum.

Sy. Verum is non aderit in ludo.

Io. Quem igitur vicarium constituit?

Sy. Cornelium.

Io. Strabum illum? Vae nobis. Is vel Orbillio plagosior est.

Sy. Verum dicis; et ideo non raro sum illius brachio precatus paralysin.

Io. Non est pium, imprecari praeceptori. Nobis potius cavendum, ne incidamus in illius tyranni manus.

Sy. Reddamus inter nos vicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente.

Io. Pulchre mones.

Sy. Fac praesenti sis animo. Nam metus officit memoriae.

Io. Facile deponerem pavorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine quis possit esse securus animo?

Sy. Fateor; attamen non agitur de capite, sed de parte diversa.

The Abbot and the Lady.

(*Antronius, Magdalia.*)

An. Quam hic ego supellectilem video?

Ma. An non elegantem?

An. Nescio quam elegantem; certe parum decoram et puellae et matronae.

Ma. Quam ob rem?

An. Quia librorum plena sunt omnia.

Ma. Tu, tantus natu, tum abbas et aulicus, nunquam vidisti libros in aedibus heroinarum?

An. Vidi, sed Gallice scriptos: hic video Graecos et Latinos.

Ma. An soli Gallice scripti libri docent sapientiam?

An. Sed decet hoc heroinas, ut habeant quo delectent otium.

Ma. An solis heroinis licet sapere et suaviter vivere?

An. Male connectis, sapere et suaviter vivere: non est muliebre sapere: heroinarum est suaviter vivere.

Ma. Nonne omnium est bene vivere?

An. Opinor.

Ma. Qui potest autem suaviter vivere, qui non vivat bene?

An. Immo qui potest suaviter vivere, qui vivat bene?

Ma. Ergo tu probas eos, qui vivunt male, modo suaviter?

An. Arbitror illos bene vivere, qui vivunt suaviter.

Ma. Sed ista suavitas unde proficiscitur? e rebus extrariis, an ex animo?

An. E rebus extrariis.

Ma. O subtilem abbatem, sed crassum philosophum! Dic mihi, quibus rebus tu metiris suavitatem?

An. Somno, conviviis, libertate faciendi quae velis, pecunia, honoribus.

Ma. Verum, si istis rebus Deus addiderit sapientiam, num vives suaviter?

An. Quid appellas sapientiam?

Ma. Hoc est, si intelligeres hominem non esse felicem, nisi bonis animi; opes, honores, genus neque feliciorem reddere neque meliorem.

An. Valeat ista quidem sapientia.

Ma. Quid si mihi suavius sit legere bonum auctorem, quam tibi venari, potare, aut ludere aleam; non videbor tibi suaviter vivere?

An. Ego non viverem.

Ma. Non quaero, quid tibi sit suavissimum, sed quid deberet esse suave.

An. Ego nolim meos monachos frequentes esse in libris.

Ma. At meus maritus hoc maxime probat. Sed quam ob rem tandem non probas hoc in monachis tuis?

An. Quoniam experior illos dicto minus audientes: responsant ex Petro, ex Paulo.

Ma. Imperas igitur quae pugnant cum Petro et Paulo?

An. Quid illi doceant, nescio: sed tamen non amo

talem monachum; neque velim quenquam meorum plus sapere, quam ego sapiam.

Ma. Istud ita vitari possit, si tu des operam, ut quam plurimum sapias.

An. Non est otium.

Ma. Qui sic?

An. Quia non vacat.

Ma. Non vacat sapere?

An. Non.

Ma. Quid obstat?

An. Prolixae preces, cura rei domesticae, venatus, equi, cultus aulae.

Ma. Itane ista tibi sunt potiora sapientia?

An. Nobis sic usu venit.

Ma. Iam illud mihi dicito, si quis Iupiter hanc potestatem tibi daret, ut posses et monachos tuos et te ipsum vertere in quodcunque animal velles, num illos in porcos verteres, te ipsum in equum?

An. Nequaquam.

Ma. Atqui sic vitares, ne quis plus te uno saperet.

An. Mea non magni referret, quod genus animantis essent monachi, modo ipse essem homo.

Ma. Ad hominem esse censes, qui nec sapiat nec velit sapere?

An. Mihi sapio.

Ma. Et sibi sapiunt sues.

An. Videre mihi sophistria quaepiam.

Ma. Non dicam quid tu mihi videaris. Sed cur haec displicet supellex?

An. Quia fusus et colus sunt arma muliebria.

Ma. Nonne matronae est, administrare rem domesticam, erudire liberos?

An. Est.

Ma. An rem tantam existimas administrari posse sine sapientia?

An. Non arbitror.

Ma. At hanc sapientiam docent me libri.

HORSEDEALING.

(*Aulus, Phaedrus.*)

Ph. Nuper incidit mihi iter, quum satis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo Hippoplanum, quem dixisses eius generis minime malum; et intercedebat mihi cum homine nonnihil etiam amicitiae. Narro, mihi rem esse seriam; opus esse praestrenuo equo: si unquam praebuisset se mihi bonum virum, nunc praestaret. Ille pollicetur, sese sic mecum acturum, ut ageret cum fratre suo carissimo.

Au. Fortassis et fratri impositurus.

Ph. Inducit in stabulum, iubet ut eligam ex omnibus equis quemcunque vellem. Tandem unus plus ceteris arridebat. Ille probat iudicium meum, deierans, eum equum frequenter a multis expetitum esse; se eum maluisse servare amico singulari, quam ignotis addicere. Conventum est de pretio: numeratur pecunia praesens: conscendo. Mira alacritate gestiebat equus in egressu; dixisses feroculum esse: nam erat obesulus et pulchellus. Ubi iam equitassem sesquihoram, sensi, plane lassum ne calcaribus quidem impelli posse. Audieram, tales ab illis ali, quos e specie iudicares insignes, ceterum laboris impatientissimos. Ego continuo mecum: Captus sum. Age, par pari referam, ubi rediero domum.

Au. Quid hic consilii capiebas?

Ph. Id quod res dabat; deflexi in proximum vicum: illic clam apud quendam mihi notum deposui equum et

conduxi alterum: profectus sum quo destinaram; reversus sum, reddo conductitium equum, reperio meum sophistam, ut erat, obesum et pulchre requietum: eo vectus redeo ad Hippoplanum: rogo ut in stabulo suo alat dies aliquot, donec repetiero. Percunctatur, quam commode me gesserit. Ego vero deiero per omnia sacra, me nunquam in vita conscendisse tergum equi felicioris; volasse potius quam ambulasse, nec tam longo itinere unquam sensisse lassitudinem, nec pilo factum ob laborem macriorem. Haec quum illi persuasissem esse vera, tacitus secum cogitabat, equum illum alium esse, quam hactenus suspicatus esset. Itaque priusquam abirem, rogabat num mihi venalis esset equus: primo negabam; quodsi incideret iter denuo, non facile fore nancisci similem: attamen nihil esse mihi tam carum, quod non esset venale pretio largo, etiamsi quis me ipsum cuperet emptum.

Au. Ne tu pulchre Cretensem agebas cum Cretensi.

Ph. Quid multis? Non dimittit ne, nisi pronuntiata equi indicatura.[1] Indicavi non paulo pluris, quam emeram. Digressus ab homine mox suborno, qui mihi partem agat huius fabulae, pulchre instructum atque edoctum: is ingressus domum inclamat locatorem: ait sibi opus esse insigni equo et laboris egregie patienti. Alter ostendit multos, et pessimum quemque maxime praedicat; solum illum, quem mihi vendiderat, quoniam existimabat vere talem qualem praedicaveram, non laudat. At alter illico rogat, num et ille venalis esset: nam descripseram illi formam equi, et locum indicaram. Locator primum obticescere, atque alios ambitiose praedicare. Quum iste ceteris utcunque probatis semper ageret de uno illo, tandem locator apud se: Plane fefellit me iudicium de illo equo, siquidem hic peregrinus

[1] Value.

statim agnovit hunc inter omnes. Quum instaret ille, tandem hic, Venalis est, inquit; sed pretio fortasse deterreberis. Non est, inquit ille, magnum pretium, si rei dignitas respondeat: indica. Indicavit aliquanto pluris, quam indicaram ipsi, captans et hoc lucri. Tandem convenit de pretio, datur, arrha satis magna, nempe regalis aureus, ne qua supicio incideret simulatae emptionis. Emptor iubet equo dari pabulum; se mox ait rediturum, et abducturum: dat etiam stabulario drachmam. Ego simul atque cognovi pactionem esse firmam, sic ut rescindi non posset, rursus ocreis et calcaribus armatus redeo ad locatorem; anhelus clamo. Adest ille; rogat quid velim. Illico, inquam, adornetur equus meus: nam e vestigio proficiscendum est ob rem maxime seriam. Atqui modo, inquit, mandabas, ut aliquot dies alerem equum tuum. Verum, inquam; sed praeter exspectationem obiectum est negotium, idque regium, quod nullam patitur dilationem. Hic ille: eliges ex omnibus, quem voles; tuum habere non potes. Rogo, quam ob rem? Quoniam venditus est, inquit. Ibi ego simulata magna perturbatione: Prohibeant, inquam, superi quod dicis. Hoc obiecto itinere non vendam eum equum, etiamsi quis numeret quadruplum. Incipio rixam, clamo me perditum. Tandem incaluit et ille. Quid opus, inquit, his iurgiis? Indicasti equum, ego vendidi: si numero pretium nihil habes quod mecum agas; sunt in hac urbe leges: ad exhibendum equum me non potes compellere. Quum diu clamassem, aut equum exhiberet, aut emptorem, tandem iratus numerat pretium. Emeram quindecim aureis, aestimaram viginti sex. Ille aestimarat triginta duobus. Cogitabat apud se: praestat hoc lucrifacere, quam equum reddere. Abeo dolenti similis, ac vix placatus etiam data pecunia. Sic impositum est Hippoplano. Habet equum nullius pretii.

Exspectat ut, qui arrham dedit, veniat numeratum pecuniam. At nemo venit, nec unquam venturus est.

Stories.

Po. Maccus quum venisset in civitatem quae dicitur Leydis, ac vellet novus hospes innotescere ioco quopiam (nam is erat homini mos); ingressus est officinam calcearii; salutat. Ille cupiens extrudere merces suas, rogat, numquid vellet. Macco coniiciente oculos in ocreas ibi pensiles, rogat sutor, num vellet ocreas. Annuente Macco, quaerit aptas tibiis illius; inventas alacriter protulit, et, ut solent, inducit illi. Ubi iam Maccus esset eleganter ocreatus, Quam belle, inquit, congrueret his ocreis par calceorum duplicatis soleis. Rogatus an et calceos vellet, annuit. Reperti sunt, et additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacite gaudens, succinebat illi laudanti, sperans pretium aequius, posteaquam emptori tantopere placeret merx. Et iam erat nonnulla contracta familiaritas. Hic Maccus: Dic mihi, inquit, bona fide, nunquamne usu venit tibi, ut, quem sic ocreis et calceis ad cursum armasses, quemadmodum nunc armasti me, abierit non numerato pretio? Nunquam, ait ille. Atqui si forte, inquit, veniat usu, quid tu tum facias? Consequar, inquit calcearius, fugientem. Tum Maccus, Serione ista dicis, an ioco? Plane serio, inquit alter, loquor; et serio facerem. Experiar, ait Maccus. En pro calceis praecurro, tu cursu sequere. Simulque cum dicto coniecit se in pedes. Calcearius e vestigio consecutus est, quantum poterat; clamitans, Tenete furem, tenete furem. Ad hanc vocem quum cives undique prosiliissent ex aedibus, hoc commento cohibuit illos Maccus, ne quis manum

iniiceret; ridens ac vultu placido, Ne quis, inquit, remoretur cursum nostrum; certamen est de cupa cervisiae. Itaque iam omnes praebere sese certaminis spectatores. Suspicabantur autem, calcearium dolo clamorem eum fingere, ut hac occasione anteverteret. Tandem calcearius cursu victus, sudans et anhelus domum rediit Maccus tulit brabeum.

Ge. Maccus iste effugit quidem calcearium, at non effugit furem.

Po. Quam ob rem?

Ge. Quia furem ferebat secum.

Po. Forte tum non erat ad manum pecunia, quam postea resolvit.

Ge. Verum erat actio furti.

Po. Ea quidem post intentata est. Sed iam magistratibus aliquot innotuerat Maccus.

Ge. Quid attulit Maccus?

Po. Quid attulit? rogas? in causa tam vincibili? Magis periclitatus est actor quam reus.

Ge. Qui sic?

Po. Quia gravabat illum actione calumniae, et intendebat legem Rhemiam, quae dictat, ut, qui crimen intenderit, quod probare non possit, poenam ferat, quam laturus erat reus, si convictus fuisset. Negabat se contrectasse rem alienam invito domino, sed ultro deferente, nec ullam pretii mentionem intercessisse. Se provocasse calcearium ad certamen cursus; illum accepisse conditionem; nec habere quod queratur, quum esset cursu superatus.

Ge. Haec actio non multum abest ab umbra asini.[1] Quid tandem?

Po. Ubi satis risum est, quidam e iudicibus vocavit

[1] Vide p. 61.

Maccum ad cenam, et numeravit calceario pretium. Simile quiddam accidit Daventriae me puero. Erat tempus illud, quo regnant piscatores, frigent lanii. Quidam adstabat ad fenestram fructuariae, sive Graece mavultis, oporapolidis, feminae vehementer obesae, oculis intentis in ea, quae proposita venum erant; illa ex more invitavit, si quid vellet: et quum videret hominem intentum ficis: Vis, ait, ficos? sunt perquam elegantes. Quum ille annuisset, rogat quot libras vellet: Vis, inquit, quinque libras? Annuenti, tantum ficorum effudit in gremium. Dum illa reponit lances, ille se subducit, non cursu, sed placide. Ubi prodisset acceptura pecuniam, vidit emptorem abire: insequitur maiore voce, quam cursu. Ille dissimulans pergit quo coepit ire; tandem multis ad feminae vocem concurrentibus, restitit. Ibi in populi corona agitur causa: risus oboritur: emptor negabat se emisse, sed quod ultro delatum fuisset accepisse: si vellet experiri apud iudices, se compariturum.

Ge. Age, narrabo fabulam tuae non admodum dissimilem fortasse, nec inferiorem, nisi quod haec non habet auctorem perinde celebrem atque est Maccus. Pythagoras totum mercatum dividebat in tria hominum genera: quorum alii prodiissent ut venderent, alii ut emerent: hoc utrumque genus aiebat sollicitum esse, proinde nec felix: alios non ob aliud venire in forum, quam ut spectent quid illic proferatur, aut quid agatur: hos solos esse felices, quod vacui curis gratuita voluptate fruerentur. Atque ad hunc modum dicebat philosophum versari in hoc mundo, quemadmodum illi versarentur in mercatu. Verum in nostris emporiis quartum hominum genus obambulare solet, qui nec emunt, nec vendunt, nec otiosi contemplantur, sed observant sollicite, si quid possint

involare. Atque in hoc genere reperiuntur quidam mire dextri; dicas esse Mercurio favente natos. Convivator dedit fabulam cum coronide; ego dabo cum prooemio. Nunc accipite, quod nuper accidit Antverpiae. Sacrificus quidam receperat illic mediocrem summam pecuniae, sed argenteae. Id Batavus quidam animadverterat. Adiit sacrificum, qui gestabat in zona crumenam nummis turgidam: salutat civiliter; narrat, sibi datum negotium a suis, ut amico cuidam mercaretur novum pallium sacrum, quae summa vestis est sacerdoti rem divinam peragenti. Rogat, hac in re commodaret sibi tantillum operae, ut secum iret ad eos, qui vendunt huiusmodi pallia, quo videlicet ex modo corporis ipsius sumeret maius aut minus; nam sibi videri staturam ipsius cum illius magnitudine vehementer congruere. Hoc officium, quum leve videretur, facile pollicitus est sacrificus. Adeunt aedes cuiusdam. Prolatum est pallium, sacrificus induit, venditor affirmat mire congruere. Batavus quum nunc a fronte, nunc a tergo contemplatus esset sacrificum, satis probavit pallium; sed causatus est, a fronte brevius quam par esse. Ibi venditor, ne non procederet negotium, negat id esse pallii vitium, sed crumenam turgidam efficere, ut ea parte offenderet brevitas. Quid multa? Sacrificus deponit crumenam: denuo contemplantur. Ibi Batavus averso sacrifico crumenam arripit, ac semet in pedes conicit. Sacerdos cursu insequitur ut erat palliatus, et sacrificum venditor. Sacrificus clamat, Tenete furem: venditor clamat, Tenete sacrificum: Batavus clamat, Cohibete sacrificum furentem; et creditum est, quum viderent illum sic ornatum in publico currere. Itaque dum alter alteri in mora est, Batavus effugit.

Eu. Ludovicus, Galliarum rex, eius nominis undecimus,

